DISSERTATIO DE CLAUSULA ASCHAFFENBURGENSI *IN ALIIS AUTEM &c.* DECRETORUM BASILEENSIUM SALVATORIA,

QUAM,

AUCTORE

P. CAROLO KLOCKER

BENEDICTINO BENEDICTOBURANO SS. THEOL. AC JURIS UTR. DOCTORE, SERENISS. AC POTENTISS. DOMINI DOMINI ELECTORIS PALATINO - BAVARI CONSILIARIO ECCLESIASTICO ACTUALI, JURIS ECCLESIASTICI, ET HISTORIÆ JURIS PROFESSORE PUBL. ORDIN. p. t. JURIDICÆ FACULTATIS DECANO,

UNACUM SUBJUNCTIS

EX UTROQUE JURE POSITIONIBUS,

POST ABSOLUTUM STUDII JURIDICI CURSUM, IN ALMA CATHOLICA, ET ELECTORALI UNIVESITATE INGOLSTADIENSI,

ADPROBANTE CONSULTISSIMA FACULTATE JURIDICA,

PUBLICE DEFENDENDAM SUSCEPIT

P. UDALRICUS RIESCH

BENEDICTINUS BENEDICTOBURANUS AA. LL. MAG. AC JURIS UTRIUSQUE CANDIDATUS

DIE XIII AUGUSTI ANNO MDCCLXXXVIIII.

HORIS CONSUETIS.

INGOLSTADII

ex Typographeo Academico Sebaſtiani Valentini Haberberger Civis Academici.

* * *

Cavesis etenim, ne vaga credulitate praeoccupatus Ecclesiam Romanam cum Curia, & Cathedram Apostolicam cum Cancellaria & Camera Pontificia confundas; praecepta fidei & morum decreta ad Ecclesiam & Cathedram; regulae circa politiam & Praxin beneficiariam, reservationes, expectativas &c. ad Cancellariam; ordinationes denique circa taxam & exactionem fructuum, annatarum, spoliorum, & aliorum jurium bursalium ad Cameram pontificiam spectant; Privilegium non errandi Ecclesiae & Apostolicae Cathedrae a Christo promissum & collatum, Cancellariae quoque aut Camerae pontificiae ita communicatum esse ne arbitreris, ut disciplinam exteriorem & versatilem diversis factis & commodis temporalibus admodum implicatam extra suspicionem obliquorum humanorum affectuum positam esse statuas, quasi non aliis regulis consiliisque in hac omni tempore serviatur, quam quae justitiae, pietatis & charitatis sibi habeant jugiter propositum incrementum. Clariss. Barthelius Tom. II. opp. Differt. gener. de Concordatis cap. I. Sect. I. n. 12. p. m. 285.

OCCASIO SCRIBENDI.

Inter diversi generis & rarioris plerumque argumenti articulos, quos exhibet Göttingisches historisches Magazin von C. Meiners und L. T. Spittler Hannover 1787. occurrit im 1. B. 2. St. n. 13. Geschichte der Fundamentalgesetze der deutsch-katholischen Kirche im Verhältniß zum römischen Stuhle Seite 347. cui accedit im 3. St. n. 4. Schluß der Abhandlung von den Fundamental-Gesetzen ꝛc. Seite 474—499. Eruditiss. Auctor D. Spittlerus totus in eo est, ut ostendat Decreta Basileensia per Concordata Aschaffenburgensia ipso jure & facto fuisse sublata, adeo, ut jam non alia, præter Aschaffenburgensia, Nationis germanicæ cum Romano Pontifice inita adhuc supersint concordata. Inexpectata hæc Clar. Professoris Göttingensis sententia Doctissimorum utriusque Religionis Virorum animos ac studia non potuit non vehementer excitare: quibus quippe valorem Decretorum Basileensium e re Nationis germanicæ potissimum esse nostris temporibus omnino esse persuasum nemini non constat. Primus, quem scio, in Spittlerianam opinionem

eru-


erudita Diatriba quædam animadvertere voluit B. F. Mohl J. U. D. ſub titulo: Bemerkungen über die neueſte Geſchichte der deutſchkatholiſchen Kirche, und beſonders über die Frage, in wie fern die Basler Decrete heut zu Tag noch gültig ſeyen? Frankfurt 1788. ubi tum ex actis, Bullis Eugenianis, aliisque geſtis, tum ex publicis Comitiis, Inſtrumentis, ac repetitis ad noſtra usque tempora allegationibus Decreta Baſileenſia peregregie vindicans ſalva & integra, exceptis quibusdam modificationibus, hactenus perdurare commonſtrat. Qua ipſa ſingulari hujus Viri ſolertia motus ipſemet laudatus Spittlerus fatetur loc. cit. 4. B. 1. St. n. 8. Seite 152. beſonders durch die Schrift des Herrn D. Mohl ſind manche bisher minder erörterte Fragen ſo in's klare geſetzt worden, daß ich mich ſelbſt des neugewonnenen Lichts nicht nur einmal freute. – Eidem D. Spittlero ſeſe etiam oppoſuit celeberr. D. Hedderich Profeſſor Bonnenſis in Diſſertatione: *de Juribus Eccleſiæ germanicæ in conventu Emſano explicatis, & de jure Archiepiſcoporum circa Beneficia menſium inæqualium in ſpecie ad illuſtrandam præcipue hujus conventus art. 15. 16. & art. V. §. 26. Pacis Oſnabr. Bonnæ* 1788. – Quem tamen prælaudatus Spittlerus factæ circa textum ex Ænea Sylvio citatum interpolationis perhumaniter reum agit, loc. cit. 4. B. 1. St. Seite 164. Verum ad iſtorum aliorumque Virorum exceptiones, non

qui-

quidem in via juris, ſed per novam hypotheſin replicare ſatius viſum eſt Clar. Spittlero, loc. cit. 4. B. 1. St. n. 8. Seite 151. ſub rubro: **Noch ein Wort über die Accep-tation der Basler Schlüſſe, als Fundamental-Con-cordat der deutſchen Kirche mit dem römiſchen Stuhle:** qua priorem ſententiam aliquatenus moderari videtur, affirmans, Nationi germanicæ magis expedire, ſi decreta Baſileenſia in ratione *Legum Eccleſiaſticarum*, quam in ratione *Concordatorum* valeant. — — Hæc Clariſſimorum Virorum diſſidia ego quidem ſemper exiſtimaveram ex ipſis Concordatis Aſchaffenburgenſibus, ab utraque litigantium parte agnitis & confeſſis, penitus eſſe finienda, ſopiendaque. Adpoſita enim clauſula finalis: *In aliis autem* &c. nullatenus fruſtranea aut inanis cuipiam videri poterit, ſed potius eum in finem, præmeditatis certe conſiliis, ac ſingulari compaciſcentium providentia adjuncta adparet, ut hæcipſa Decreta, *in quantum præſenti Concordiæ non obviant*, deinceps pleno in vigore conſervarentur, atque, illa Eugeniana conditione, *donec per Legatum concordatum fuerit*, plane non obſtante, novo quoque Concordantium conſenſu & auctoritate eo fortius ſtabilirentur. Quodipſum eſt, cur publicum Clauſulæ iſtius periculum facere, eandemque brevi quadam Diſſertatione penitius nonnihil examinare placuerit. Atque, ut illa eo pleniorem in lucem collocetur, generalia quædam rite

te

te interpretandi Paciſcentium Clauſulas Principia præmit-
tenda cenſui: quibus explicationem Clauſulæ quinquenna-
lis ex Concordato Conſtantienſi adjungi, de Juribus & Li-
bertatibus Eccleſiarum germanicarum bene ſollicitis ſupra-
vacaneum eo minus videri poterit, quo rectior per illam
ad inſtitutum noſtrum præparanda fuit via. Reliqua, me-
rita præſentis cauſſæ propius tangentia, ſubſequens exhi-
bet conſpectus. — Ex his jam Benevole Lector! an recte
etiam exiſtimaverim, ut dijudicare velis rogo: & ſiqui-
dem ad rem Concordatorum germanicorum nonnihil con-
tuliſſe tibi videar, hancque opellam æqui bonique conſu-
lendam duxeris, plura ejusdem argumenti capita diluci-
danda in me ſuſcipiam. Interim vale! tuisque favoribus
dignare Auctorem, qui ad meliora amplexanda pa-
ratiſſimum præſefert, & obſtrictiſſimum ſemper
fovebit animum.



CON-

CONSPECTUS.

CAPUT I.

DE CAUSULIS IN GENERE.

CAPUT II.

DE CLAUSULA QUINQUENNALI CONCORDATI CONSTANTIENSIS.

CAPUT III

DECRETA BASILEENSIA MODIFICATA SUNT VERA CONCORDATA INTER ROMANUM PONTIFICEM ET NATIONEM GERMANICAM.

§. 12.

CAPUT IV.

QUÆ PER CONCORDATA ASCHAFFENBURGENSIA NON SUNT SUBLATA:

CAPUT V.

SED APERTE CONFIRMATA PER CLAUSULAM:

IN ALIIS AUTEM, &c.

CA-



CAPUT I.

DE CLAUSULIS IN GENERE.

§. 1.

Clausulam a claudendo derivari Phylologia quemlibet docet. Claudere tamen varios significatus refert; sic vulgo dicimus, claudere librum, epistolam, aures, opus, agmen, januam &c. verbo, quidquid certis limitibus, modisve circumscribitur, id claudi dicitur. Jureconsultis sub nomine clausulæ veniunt particulæ Instrumentis, Edictis, stipulationibus, testamentis, codicillisque adjectæ, quibus certa agentium voluntas adfigitur, limitatur, vel extenditur ad speciales casus, modosve: juxta *l. 9. ff. de Edendo. l. 17. & 19. ff. jud. solui. l. 30. & 31. ff. de leg. I.* Barschampius *in Rad. claus. c. 1. n.* 5. describit clausulam, quod sit oratio per certa & usitata verba dictionesque, sive æquipollentia sive subintellecta, instrumento, contractui, testamento, libello, rescripto ad explicandam et servandam voluntatem inserta. Propius ad rem praesentem accedit Hellfeld *in Repert. juris priv. sub voce* Clausel, dum ait: „Clausel ist eine kurze „Wortfassung, wodurch etwas nach Beschaffenheit der Sache „und Umstände erklärt, erweitert, oder auch eingeschränkt wird." Quocum Wiesand im Juridischen Handbuche: item M. Durand de Maillane *Diction. de droit canon.* Generalis equidem hæc est clausularum notio: specialem tamen curatioremque instituti mei — Definitio clausulæ.

ratio

ratio requirit, nempe illarum, quæ contrahentium, transigentiumque præcise determinare solent, et possunt negotia, actusque. Hinc definiendum, quod clausula sit *certa verborum formula, qua contraheutes certa jura sibi servare, ac damna cavere intendunt.*

§. 2.

et Cautelæ.

Atque sub hac ratione *clausulam* cum *Cautela* coincidere facile perspicitur, qua de varios ac præstantissimos tractatus Celeberr. Stryckius nobis reliquit, ex quibus præcipue huc facit tractatus de Cautelis contractuum, ubi *S.* 1. *c.* 1. §. 6. illam describit, *Providentiam legitimam a contrahentibus ad excludendum damnum adhibitam.* Quam quidem in celebrandis contractibus singularem adhiberi, atque tamen a malis mediis averti necesse est, ut nimirum sit *legitima*, sicque a fraudulentis artibus distincta: *fraudes enim*, *ait* prælaudatus Auctor, *hic procul esse jubemus, et deceptiones, quæ non cautelarum sed cavillationum nomine veniunt arg. L. si caluitur* 233. *pr. ff. de V. S. et ad h. l. Dd. cujusmodi cavillationibus etiam in caussa iusta se defendere, injustum puto, licet in foro exteriori id permissum existimet Joh. Val. de different. utr. fori Rubr. Defensio Diff.* 5. *n.* 1. *Cavillatio quandoque pacto honestius pro ineptis syllogizantium argumentis, ad veritatis immutationem excogitatis, capitur l.* 177. *ff. de V. S. l.* 65. *ff. de R. I.* Eandem malitiosam voluntatem, deceptionesque excludit data clausulæ notio, dum per illam tantum jura propria, ac competentia tueri, illisque prospicere liceat.

§. 3.

Differentia a Modificatione

Discrepat tamen *Clausula* a *Modificatione*, utpote quæ proprie accidit, quando aliquid detrahitur juri aut privilegio: et prout notat glossa ad *Clement* 2. *de Elect.* diminutionem continet, *juxta cap. fin. de V. S.* Nimirum quando constitutio seu ordinatio secundum varias locorum, personarum ac temporum circumstantias, consuetudines, ac jura particularia limitationem, mutationemve patitur, dicitur *modificari.* Quodipsum menti legislatoris conforme esse, clare innuit *cap.* 1. *de constit. in VI.*

in VI. atque etiam exhibet *cap.* 3. *de præb. in VI.* quo præcedens capitulum modificationem ratione temporis recipit, ita, ut collatio Beneficiorum in curia vacantium intra ſpatium unius menſis fiat. Notiſſimum eſt, decreta Baſileenſia tum in Bituricenſi conventu gallicano, tum in Diæta Maguntina germanica nonniſi ſub certis Modificationibus, prout provinciis, Eccleſiis, ac diœceſibus accommoda, ac utiliora eſſent, ſuiſſe acceptata. Atque ipſum Concilium Tridentinum, ubicunque receptum fuit, quasdam modificationes ſubiiſſe ignorari non poteſt. Unde patet cum *modificatione* confundendam haut eſſe *clauſulam*;

§. 4.

Quæ varias recipit partitiones, 1mo. Ratione *auctoris*: ſi vel ab ipſa *lege*, vel *ab homine* ſit adjecta: qua tam Legislator, quam compaciſcentes firmiorem legum, pactorumve obligationem, quam poſſunt efficaciſſime, inculcare intendunt; dicuntur *legales*, vel *conuentionales*: quarum aliæ *expreſſæ*, aliæ *tacitæ*, dum ſive diſertis verbis adduntur, vel aliunde ſubintelliguntur; licet in effectu nihil interſit, quando ſcilicet, negotio ſimpliciter inhæret, ſive præſumitur, vel expreſſe non requiritur, aut ab ipſa lege ineſſe præſumitur. Menoch. *conſ.* 108. *n.* 54. — *de præſumt. l.* 4. *p.* 40. *n.* 8. — alias etiam *neceſſariæ* aut *voluntariæ* appellari ſolent. 2do. Ratione *formæ* dicimus quasdam *ſolennes*, quasdam *minus ſolennes*, *generales* et *ſpeciales*, *puras* vel *conditionatas*, *abſolutas* aut *relativas;* uti etiam *a loco*, quo ponuntur, ſive ab initio, in medio, ſive in fine: conf. *Lauterbach Dig. ad tit. de Ed.* quarum omnium ſenſus ex verbis ipſis colligitur. 3tio. *Ab objecto* recipiunt varias partitiones, prout vel teſtamentis, contractibus, Inſtrumentis publicis vel privatis, Reſcriptis, aliisque negotiis legitimis adponuntur. 4to. *Ab Effectu* denominantur clauſulæ *derogatoriæ*, *ſuppletoriæ*, *reſervatoriæ*, *ſalvatoriæ*, *juſtificatoriæ*, *pœnales* &c. &c. quæ pro diverſo reſpectu ſunt vel *odioſæ*, vel *favorabiles*. Quibus accedunt clauſulæ *ſuperfluæ* ſeu *abundantes*, quæ, vt ait Stryckius *tract. de caut. contract. c.* 1. §. 13. præter neceſſitatem majoris ſecuritatis cauſſa adjiciuntur; juxta illud vulgare: ſuperflua non nocent: melius tamen eſt talia addere, quam neceſſaria omittere. *l.* 17. *Cod. de teſt. l.* 94. *ff. de R. I.* Quas inter cenſeri Diviſio.

 poterit

poterit illa concordatis Aschaffenburg. adjecta de Natione *alemannica a Germanica* nullatenus distinguenda seu separanda in concordatis huiusmodi, sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis litteris. Harum tamen explicationem dare opus haut videtur.

§. 5.

Finis. Quorsum vero clausulæ conventionales tendant, quemve finem habeant, ipsa Notio aperte indicat, nempe ut jura particularia salva et integra maneant, et quævis præjudicia auerruncentur. Equidem in aliis negotiis & actionibus nemini interdicitur jura sua tueri, commodis invigilare, ac emolumenta sua, quo modo licito fieri potest, procurare, damna ac praejudicia sollicite cavere, nisi damnum aut injuria alterius obstet; juxta *l.* 206. *ff. de R. I. jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento vel injuria locupletiorem fieri:* attamen in negotio Pactorum sive privatorum, sive publicorum eo minus id adplicari valebit, quo magis constat in Pactis et concordatis omnia fieri communi consensu, et neutra parte inuita: hinc sibi alter imputet, quod alteri permiserit, eo quod scienti et consentienti non fiat injuria neque dolus, c. 27. *de R. I. in VI. et l.* 145. *ff. de R. I.* Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt et consentiunt. Ex hoc autem mutuo consensu eo majus robur ac momentum adquirunt clausulæ conventionales, omnesque exceptiones a compaciscente opponendas quam longissime removent.

§. 6.

Usus. Amplissimus æque ac frequentissimus usus clausularum in Pactis publicis occurrit. Primaria enim summorum paciscentium cura et sollicitudo eo invigilat, ut tractatus suos exquisitis terminis, selectisque particulis circumscribant, atque ita custodiant, ut nullo unquam tempore præjudicium, aut detrimentum prævalere, stipulataque jura impugnari, aut ultra conventionem, transactionemque imminui possint. Et sane, exclamat Celeber. Hertius (a), *ecquis negabit, in pactionibus de pace,*

(a) Differt de jurisprud, cavente S. I. §. 7. inter opp. Vol. II. T. III. pag. 6.

pace, fœderibus, induciis, contractibusve, qui ineuntur inter diversos populos, aut in pactis Principum matrimonialibus; item in pactis Rectorum Reipublicæ et illorum, qui reguntur, magna cautione opus esse? Dea enim utilissima cauta circumspectio est. Euripid. Phœniss.. et Helena: *Diffidentia autem moderata prudenti nihil est utilius hominibus.* Siquidem huius rei exempla in monumentis historicis, ac publicis instrumentis tanta totque prostant, vt integer liber facile impleri posset. Sola Pax Westphalica quasi innumeras limitationes, modificationes, et clausulas exhibet, quibus veluti fortissimis repagulis jura catholicorum et Protestantium munita saluantur. Famosam clausulam Pacis Ryswicensis art. IV. *Religione tamen Catholica romana in locis sic restitutis in statu, quo nunc est, remanente;* diversosque circa illam elucubratos tractatus, publicosve in Imperio motus ignorare nemo facile poterit. Merito igitur Gundlingius illos præ ceteris deprædicat Jureconsultos, qui in peragendis negotiis prudenti clausularum, cautelarumve adplicatione pollere noscuntur. Et Ludewigius (b) notat, ex adjectis hujusmodi verborum formulis deprehendi auctorem Instrumenti, an Publicista, vel Jureconsultus fuerit.

§. 7.

Prolixiorem desuper notitiam qui desiderant, integros, vtilissimosque tractatus consulant, quales singulari eruditione instructos reliquerunt Georgius Barschampius *de radice claus. Viterb.* 1620. Joan Bapt. costa *de clausulis conventionalibus Venet.* 1616. & 30. August. Barbosa *de clausulis usu frequentibus Lugd.* 1644. & 99. ubi 188. clausularum sensum explanat; adjecto dictionum, et particularum juridicarum vocabulario: præprimis autem Consult. Stryckius plures tractatus de varii generis cautelis præstantissimos, omnium manibus quam maxime commendandos dedit, aliunde notissimos. Plures exhibet Bibliotheca juridica realis lippeniana cum supplementis clar. Schottii & Senckenbergii. Plura remissive.

(b) Ad aur. Bull. Tom. II. Seite 207.

§. 8.

Principia generalia clausulas interpretandi.

Propius tangunt, plurimumque illustrare poterunt præsentis dissertationis scopum generalia quædam Principia, quæ rite adplicata vel maxime adjuvabunt præfixæ clausulæ interpretationem. Sunt autem sequentia:

I. Nullum verbum clausulæ frustraneum censeri debet: eoquod hisce formulis certa et præcisa voluntas et contrahentium intentio adfixa sit: uti Barbosa (c) notat: *clausulæ non debent censeri inutiles et superfluæ.* Et in specie Besoldus (d) ait: *Quod verbum etiam minimum in quacunque dispositione positum inveniatur, intelligi debeat cum ministerio operandi auctor est Hipol. de Marsil. in repetit. rubric. C. de prob. n.* 118. *Non est quippe dicendum frustra adjecta esse verba, & adhuc minus clausulam integram, vt non aliquid operetur. l. hanc legem ff. de contr. Emt. l. siquando in pr. de leg. 1. l.* 3. *ff. de jurejur.*

II. Interpretatio pactorum ac clausularum conventionalium stricte, et secundum communem usum loquendi facienda est. Neque enim in conventionibus illud locum habet, *quod quilibet sit interpres verborum suorum*, eoquod æqualis debeat esse conditio paciscentium, cui privata, et unilateralis explicatio haut præjudicare poterit; verbaque dubia ad communem et publicum loquendi usum et sensum reducenda erunt: prout explicat Perill. L. B. de Kreittmayr (e).

III. Clausula ita explicanda, ut actus potius valeat, quam pereat, secundum *l.* 12. *ff. de reb. dub. et l.* 80. *ff. de V. O. quotiens in stipulationibus oratio ambigua est, commodissimum est id accipi, quo res, qua de agitur in tuto sit.* vid. Besold *Consil.* 2. *P.* 29. *cons. nro.* 27. *et cit.*

IV. Verba clausulæ explananda, ut evitetur absurdum. Quam regulam multis confirmat auctoritatibus Besoldus *loc. cit. nro.* 23. & 24. *Quod absurditas intellectus ab omni*

(c) Tract. de clausl. usufreq. in genere nro. 15.
(d) Consil. Part 2. cons. 29. n. 1. et seqq.
(e) In notis ad cod. civ. bavar. 4. Th. 1. K. 18. §. et cit. ibid.

omni dispositione rejicienda. — Unde dicunt absurdi evitandi caussa extensionem fieri etiam in materia odiosa Alex. *Consil. 36. ad fin. vol. 6.* Iason *in authent. col. 6. cod. de ss. Eccl. Quin & pro absurdo evitando recedimus, cum interpretamur dispositiones, a regulis iuris,* Surdus *consil. 85. n. 26. & seqq. et quoque a proprietate verborum.* ibid.

V. Clausula conventionalis dubia contra eum interpretanda, qui clarius loqui debuisset. Id quod rectam rationem ac leges nostras civiles saepius praecipere docet Leyserus (f) ubi post recensitos variorum auctorum dissensiones circa eum, qui clarius loqui debuisset, tum ex cit. legg. tum ex responsis JCtorum Vitembergensium, et Helmstadiensium edicit; *Rectius itaque et secundum mentem Jureconsultorum veterum regulam sic formabimus: Is clarius loqui debuit, atque contrariam sibi interpretationem patitur, qui verba pacti concepit, vel concipere, aut mentem suam explicare debuit, atque obscure vel ambigue locutus est.* Quocum etiam sentit Stryckius (g) addito monito salutari; *cum interpretatio contractus contra conscribentem fiat, quippe qui apertius scribere potuit per leg. 39. ff. de pact. cavebit unusquisque, ne operam conscribendi contractum facile in se recipiat: est enim haec civilitas nociua, si alter contrahentium ad conficiendum contractum se offerat.*

Regulas istas insignem usum praestare circa explicanda concordata inter Rom. Pontificem et Nationem germanicam inita decursus monstrabit, ac ipsa etiam clausula constantiensis, qua de mox agendum, confirmabit. Huius enim originem, valorem, fata, sensum et efficaciam praemittere pernecessarium duxi, & ipsa rerum comprobabit connexio.

CAPUT II.

(f) In Med. ad Pand. specim. 41. n. 4. de interpret. Pact. dub.

(g) Tract. de caut. contract. S. 1. c. 4. §. 16.

CAPUT II.

DE CLAUSULA QUINQUENNALI CONCORDATI CONSTANTIENSIS.

§. 1.

Merita Rom. Pontificum in Ecclesias german.

Romanis Pontificibus, eorumque indefessæ vigilantiæ, ac imperterritæ constantiæ plura splendididissima Ecclesiarum germanicarum jura, ac Libertates, quæ turbulentis illis inter Sacerdotium et Imperium seculis XI. XII. & XIII. vel maxime periclitabantur, in hodiernum usque diem in acceptis esse referenda neminem sinceræ ac germanæ indolis diffessurum fore existimo. Nam nonnisi hospes in Historia Germaniæ ignorare poterit, quanta Rom. Pontifices Gregorius VII. Victor III. Urbanus II. Paschalis II. Calixtus II. incommoda, quanta mala & injurias, quantos labores, molestiasque tulerint: non solum ut disciplinam Ecclesiasticam vixnon penitus pessumdatam iterum restaurarent, sed etiam ut jura ac libertates per violentas usurpationes ereptas, atque ab alienis non sine ingenti scandalo exercitas Ecclesiis germanicis vindicarent, restituerentque. Perpetuum certe obligationis, ac gratitudinis monumentum esse debet illud Pactum calixtinum, inter Henricum V. & Calixtum II. Rom. Pont. anno 1122. initum in amplissimum Ecclesiarum Regni Teutonici favorem; quippe quo jus liberæ Electionis, tanquam singularem, prout merito deprædicat Consult. Barthelius, soli Nationi germanicæ propriam, reliquis vero omnibus facile invidendam prærogativam; insuper omnes Possessiones et Bona in illa guerra ablata felicissimis sub auspiciis recuperarunt. Mediante præsertim Innocentio III. R. P. Fridericus II. anno 1213. speciali constitutione Egræ quarto Idus Julii data, quam *auream Bullam* vocant, abdicata Regalia, & jure spolii pristina jura, libertatemque dedit germanicis Ecclesiis. Quocirca etiam in concilio Lugdunensi anno 1274. auctoritate Gregorii X. limites fuere positi juxta *cap.* 13. *de Elect. in VI.* Hæc ergo, aliaque jura illis temporibus singulari Romanorum Pontificum opera, ac auctoritate obtenta merito præ aliis Nationibus sibi gratulatur Germanorum Ecclesia.

§. 2.

§. 2.

Gravamina contra reservationes Beneficiorum.

Attamen isthæc præclarissima, hoc loco tantum delibata Romanorum Pontificum in nostras Ecclesias Merita, post lapsum unius seculi sensim plurimum patiebantur, postquam generales ac speciales reservationes Beneficiorum introduci, præstationes, exactionesque varii generis imponi, sicque Ecclesiæ germanicæ ita adfligi ceperunt, ut gravamina, ac lamenta contra Romanos Pontifices undique & in omni Natione insonare, atque increbrescere fuerit auditum. Id quod ex monumentis historicis, ut solet, eruditissimis observationibus in rem præsentem illustrat primarius in re beneficiaria Magister Ludov. Thomassinus (h) his verbis: „ Ex contextu nostro historico, & chronologico liquidum fuit, inter „ initia meras fuisse preces, quibus Pontifices patronos & col- „ latores convenirent: eas ab ipsis donari solitas preces neces- „ sitati, sollicitationi, importunitati privatorum hominum vel „ petitioni Principum: oratos, & vix tandem exoratos eos fuis- „ se, ut non iam preces, sed præcepta adhiberent: denique seu „ preces seu præceptiones ab origine ipsa non fuisse interposi- „ tas, nisi ad pauperum clericorum leuationem, & quidem in- „ digenarum. Ad Clementem VI. 100000. pauperum clericorum „ confluxisse ad necessaria ex beneficiis subsidia comparanda „ refert chronologus Hist. Univ. Paris. Tom. 4. p. 276. Rur- „ sus illud obseruari potuit seu mandatis seu reservationibus „ minuscula tantum beneficia comprehensa fuisse, cum de episco- „ patibus & abbatiis inter illa initia ne veniret quidem in men- „ tem. Inde id resultat, servitum tantummodo fuisse ecclesiæ „ necessitatibus, eo omnibus persuaso & præjudicato, nunquam „ desieri ecclesiam posse potestate ad salutem suam necessaria. „ Quandiu inter has metas res cohibita fuit, & rarius & par- „ cius restitum fuit. At ubi res eo evasit, ut turbæ nepo- „ tum, proximorum, extraneorum beneficia prodigerentur: ubi „ donari cœpere istæ ecclesiæ principes, episcopales & abba- „ tiales: ubi eæ reseruari cœpere, quo in sinum extraneorum „ effunderentur: tum vero & frequentius reclamatum est, & au- „ dacius contumaciusque; tum denique apparet commentatas

B „ fuisse

(h) In V. et N. Eccles. discipl. Tom. II. Lib. I. C. 44. nro. 4.

„ fuiſſe novas rationes, quibus ſuffulciretur jus, quod cum no-
„ vum jam non eſſet, novis ſubinde impulſionibus concutieba-
„ tur. Inter rei primordia neceſſitas Eccleſiæ rationum omni-
„ um inſtar erat. Ubi ultra neceſſitatis forſitan limites effude-
„ runt ſe mandata, minus dociles eis ſe præbuere præſules, prin-
„ cipesque. Tum forſan ſive altius ſive longius petitis rationi-
„ bus impeti & ipſi cœpere.“ Hunc in modum Eruditiſſ. Thomaſſinus initia, progreſſus, ac ſata reſeruationum pontificiarum circa Beneficia extranearum Eccleſiarum deſcribit.

§. 3.

Origo, & fata illarum.

Porro primam reſervationem proprie dictam ſcripſit Clemens IV. edita ſpeciali conſtitutione poſt annum 1266. quæ legitur *cap. 2. de Præb. in VI.* & dici conſuevit *reſervatio juris ſcripti*: ad ſolum Beneficiatorum obitum in curia romana reſtricta. Rationem ac occaſionem huius reſervationis veroſimiliorem exiſtimo, quam aſſignat gloſſa ad *cap. ſtatutum de Præb. in VI.* ad verba: *per ſeipſos*: *Lit. d. Habebant Epiſcopi ante conſtitutionem Clementis Procuratores in curia, qui ſtatim cum vacabant Beneficia, conferebant illa, et ſic præveniebant Papam: unde motus Clemens promulgavit conſtitutionem ſupradictam.* Cum enim ſeculo XIII. plurimæ cauſſæ Romam delatæ per ipſos Clericos diœceſanos plerumque agitarentur, ob frequentem extraneorum clericorum confluxum haut raro per mortem naturalem vacare ceperunt illorum Beneficia, quæ Papa cum non exiguo Epiſcoporum, aliorumque collatorum præjudicio conferre conſueverat. Gratias iſtas pontificias declinaturi Epiſcopi de Procuratoribus ſibi ſuisque juribus proſpiciebant, ut mox audita morte ſuorum diœceſanorum clericorum ordinariam ſuo nomine impertirentur collationem. Cui tamen Clemens IV. dictam conſtitutionem oppoſuit; deinde in Concilio Lugdunenſi II. per Gregorium X. ita modificatam, ut a) Papa conferat intra menſem: & b) poſt menſem tantum ordinarii collatores jus ſuum exercere poſſint non per Procuratores romanos, ſed *per ſeipſos, vel ipſis agentibus in remotis, per ſuos Vicarios generales in eorum diœceſibus exiſtentes, quibus id canonice ſit commiſſum.*

§. 4.

§. 4.

Ingentia autem incrementa obtinuerunt reservationes per Papas Avenionenses, post sedem pontificiam in galliam propter dissidia Romanorum indies magis invalescentia translatam. Sic Clemens VI. anno 1306. generalem reservationem indixit non solum in dioecesi Burdigalensi, de qua ad summum Pontificatum assumtus fuit, sed in omnibus Ecclesiis Patriarchalibus, Archiepiscopalibus & Episcopalibus, Monasteriis, Dignitatibus & quibuscunque Beneficiis in curia vacaturis, in qua frequens Episcoporum extraneorum tunc versabatur numerus: *juxta cap.* 3. *de Præb. inter Extrav. comm.* Hujus exemplum imitabatur Successor Joannes XXII. anno 1316. per novam constitutionem *cap.* 4. *de Elect. inter Extrav. comm.* nova superaddita reservationum specie, per pluralitatem Beneficiorum incurrenda, quam exhibet *Extravagans Joan. XXII. de Præb. Execrabilis.* Complexum harum omnium subjunxit Benedictus XII. anno 1335. per *Extrav. inter comm.* 13. *de Præb.* quae incipit: *Ad regimen.* Præter istas Beneficiorum restrictiones hi ipsi Papæ Avenionenses omnes Natione Galli, Ecclesiis primum Anglicanis, postea Gallicanis, ac etiam Germanicis annatas, seu fructus primi anni dictare ceperunt, quarum fata ex Thomassino audire haut ingratum erit; subjungendo postea Germaniæ nostræ casus: *loc. cit. n.* 4. legitur: „Si ante Bonifacii VIII. pontificatum rarissime pontifi„ciis his provisionibus adversata est Gallia, multo sane proclivior „illa fuit ad gratificandum Pontificibus, postquam Avenionem „traducta fuit sedes apostolica; Avenionenses nimirum gallica„nique Pontifices eam potestatem reservationum & mandato„rum ad id fastigii provexerunt, quo non potuit altius assur„gere. Clemens V. qui primus ibi sedit, statim reservavit sibi „Ecclesias Patriarchales,metropolitanas,episcopales,abbatiales,de„nique beneficia prorsus omnia, quæ vacarent, vel vacatura essent „in curia. Reges & alii, quibus abnuere vix quidquam poterat, „tot ab eo episcopatuum, & abbatiarum commendas extorse„runt, ut vel ipse compulsus deinde fuerit has revocare omnes „gratias, quas inconsiderantius a se concessas fuisse ipsemet con„fessus est, postquam gravi morbo conflictatus, in anteactam „vitam suam inquirere cœpit, & sævire in se, ne sæviret in

„ eum ſummus judex. (i) Succeſſor ejus Joannes XXII. re-
„ ſervavit ſibi fructus primi anni ſeu annatas, ut vocant, om-
„ nium beneficiorum. Clemens VI. Cardinalibus ſuis, unde ſe
„ ſuſtentarent, contulit per reſervationes et expectativas epiſ-
„ copatus complures Chriſtiani orbis. Inexorabilis quædam vi-
„ debatur illis incubuiſſe neceſſitas, hæc adhibendi importuna
„ alioqui remedia levandæ egeſtatis ſuæ, poſt transvectam Ave-
„ nionem curiam romanam, quod eam arripuiſſent nefarii præ-
„ datores anſam invadendi dominii vel patrimonii eccleſiæ ro-
„ manæ in Italia. Dolori fuit Galliæ & ingenti diſpendio illa,
„ quam gloriæ & compendio ſibi fore augurabatur, transmi-
„ gratio. Quanquam nec illud diſſimulari debeat, cum plerique
„ Cardinales per annos hos 70. transmigrationis gallicæ fuerint
„ gentis, ingentes illas opes, quæ in cardinalium deſuebant ma-
„ nus, a gallia ipſa non effluxiſſe." Ita ſeſe habebant res ec-
cleſiaſticæ gallicanæ tempore dictarum conſtitutionum pontifi-
ciarum.

§. 5.

inGermania, præſertim in Bauaria.

Ut ſtatum germanicarum Eccleſiarum ob oculos ponamus, patria, utpote eo luculentiora, exempla ex ſeculo XIV. & XV. adducere præſtat: quæ in promtu habemus ex Hiſtoria Friſingenſi Clar. P. Caroli Meichelbeckii, qui *Tomo II. pag.* 135. *ex libro ſtatut. Friſing. Mſco fol.* 27. publici juris fecit literas notatu plane digniſſimas, quas Fridericus Archiepiſcopus Salisburg. ad Joannem XXII. anno 1320. ſuo, & ſuorum Suffraganeorum nomine circa ſtatum rei beneficiariæ ſatis adflictum dederat, quarum paſſus concernens hic eſt: „Quatenus de
„ gratia ſpeciali tam mihi, quam illis ſingulis in ſuis civita-
„ tibus & diœceſibus providendi de dignitatibus, perſonatibus,
„ parochialibus eccleſiis ſeu aliis beneficiis eccleſiaſticis curatis,
„ & non curatis, quæ per novam veſtram conſtitutionem (*Exe-*
„ *crabilis*) præfatam, ſeu alio quocunque modo de jure vacant,
„ & tanto tempore vacarunt, quod eorum proviſio eſt ad ſedem
„ apoſtolicam devoluta, eisdem, qui illa nunc tenent de facto,
„ vel aliis perſonis idoneis, prout veſtræ ſanctitati viſum fuerit
„ faciendum, diſpenſandi quoque ſuper pluralitate beneficiorum
„ cum his, qui plura de facto jam tenent beneficia, juxta mo-
„ dum,

(i) Extrav. inter comm. 2. de Præb.

„ dum, quem ſecundum conſcientiam noſtram conſideratis per-
„ ſonarum, & beneficiorum circumſtantiis arbitrabimur, nec non
„ ſuper irregularitate & inhabilitate ex detentione beneficiorum
„ hujusmodi contracta, remittendi quoque fructus, redditus &
„ proventus ex his perceptos cum non obſtantibus & clauſulis
„ opportunis hac vice duntaxat concedere dignemini facultatem,
„ ut per hoc ſtatus reformetur cleri, ſalus creſcat populi, & ve-
„ ſtrorum apud Deum augeatur cumulus meritorum. Dat. Salz-
„ burg. X. Kalend. Novembris anno Domini MCCCXX. „ Ex quibus jam haut obſcure colligere licet: 1mo. has literas in quodam concilio provinciali eſſe voluntate & conſilio ſuffraganeorum conſcriptas: quas tamen in noviſſima collectione conciliorum Salisburgenſium per Clar. D. Florianum Dalham ſingulari ſolertia adornata invenire haut potui; ipſa reſponſione Pontificis forſitan in Archivo Salisburgenſi adhuc deliteſcente: 2do. Extravagantem (*Execrabilis*) mox a ſua origine plenam vim obtinuiſſe in noſtra præſertim Bavaria, de cujus beneficiis præcipuus ſermo erat; 3tio. miſerum beneficiorum, Beneficiatorumque bavaricorum ſtatum ex reliquo tenore literarum a legentibus facile perſpiciendum. Porro longe duriſſima fata habuit, ſiqua alia, Eccleſia Friſingenſis, dum per integrum, & ultra ſeculum ſub reſervationibus pontificiis ingemuerit. Plures caſus poſt inventas reſervationes nobis conſignavit ſolertiſſimus Meichelbeckius in *Hiſtoriæ Friſing. Tomo II. pag.* 139. *& ſeqq.* quorum conſpectus rei patriæ ſtudioſum haut pigebit.

Anno 1323. Electione capitularium, eoquod Ludovico Bavaro Imperatori adhæſerint, caſſata Joannes XXII. dedit Epiſcopum *Joannem de Güttingen Suevum*, prius Brixinenſem, ac Bambergenſem Epiſcopum. *pag.* 139.

Anno 1324. Idem Pontifex ex eadem cauſſa propria auctoritate præpoſuit *Conradum IV. Klingenbergium Sueuum. pag.* 141.

Anno 1341. Benedictus XII. inſuperhabita electione Epiſcopatum contulit *Joanni*, prius Verdenſi Epiſcopo, ac perpetuo familiari Avenionenſi, qui ſponſam ſuam nunquam vidit. *pag.* 184.

Anno 1349. Clemens VI. *Albertum de Hochberg*, quem ante quadriennium contra Albertum de Hohenloe canonice tunc

ele-

electum Wirzeburgensi destinaverat Episcopum, cognita veritate negotii ad Frisingensem Ecclesiam transtulit, olim in aula Avenionensi morantem. *pag.* 151.

Anno 1359. jussu summi Pontificis Innocentii VI. *Paulus Episcopus Gurcensis* Frisingensem adiit Episcopatum. *pag.* 156.

Anno 1378. *Leopoldus ex familia Sturmbergiorum* provisionem suam Romæ obtinuisse videtur Historiographo Frisingensi tempore schismatis circa electionem summorum Pontificum Urbani VI. & Clementis VII. Avenionensis. *pag.* 165.

Anno 1381. Eadem auctoritate fuisse promotum *Bertholdum*, Ducum Austriacorum Cancellarium testatur chronicon Salisburgense: *pag.* 171. quem postea Archiepiscopali sedi a Bonifacio IX. PP. contra electionem Eberhardi III. præpositum memorant Nachrichten von Juvavia Seite 205.

Anno 1411. Insuperhabita Electione Cathedræ Frisingensi præfectus est *Conradus V.* antea Episcopus Gurcensis. *pag.* 185.

Anno 1412. Promotio *Hermanni* Episcopi Romæ in gratiam Cæsaris Sigismundi facta: qui postea ad Sedem Tridentinam eadem auctoritate translatus morte tamen præventus fuit: *pag.* 186.

Anno 1421. Vi cujus translationis, irritata Electione canonica, Martinus V. præposuit *Nicodemum della scala Veronensem pag.* 195.

Ex quibus jam adparet Ecclesiam Frisingensem per integrum seculum dispositioni Romanæ subfuisse, licet cum aliis Teutonici Regni Ecclesiis eidem jus liberæ Electionis vi pacti Calixtini competiisset, atque illæ extravagantes Joannis XXII. & Benedicti XII: *ad regimen.* cum ipsis Pontificibus expirare debuissent.

Similia fata Archiepiscopalis sedis Salisburgensis referunt die Nachrichten von Juvavia ab anno 1200. usque ad 1403. ad tempora concilii Constantiensis, quibus quasdam electiones miris ex caussis reprobatas Seite 203. legere est, atque etiam taxas

Anna-

Annatarum ab anno 1317. juxta datas Apochas persolutas ibidem Seite 163. invenies. Atque hæc fuit illorum temporum ratio inter Ecclesias nostras, & curiam Romanam satis certe molesta.

§. 6.

His tantis jurium antiquorum, libertatumque derogationibus, novis ac novis exactionibus, oneribusque, caussarum evocationibus, continuisque gravaminibus romanis non solum Germanica, sed etiam Anglicana, Gallicana, Hispanica & Italica Nationes vehementer adflictæ suorum Regum ac Principum patrocinium eo enixius implorare ceperunt, quo certius sublevamen sub eorum auspiciis, instante concilio Constantiensi sperare licuerat. Ad hoc enim non solum Legati Regum, & Principum, sed speciales etiam Deputati quatuor Nationum ad tollenda gravamina ex abusibus curiæ romanæ exorta destinati præprimis urgebant oblata in sessione 39. & 40. avisamenta, in quarum ultima 30. Oct. 1417. habita, præside Joanne Ostiensi Episcopo Card. decretum fuit, teste Alexandro Natali (k) futurum Pontificem proxime eligendum cum sacro hoc Concilio, vel deputandis per singulas Nationes debere reformare Ecclesiam in capite & in membris, & curiam Romanam *secundum æquitatem & bonum regimen Ecclesiæ* ante dissolutionem concilii super certis articulis scil. 1. De numero, qualitate & natione Cardd. 2. De reservationibus Sedis Apostolicæ. 3. De Annatis, communibus servitiis, & minutis. 4. De collationibus Beneficiorum & gratiis expectativis. 5. De confirmationibus Electionum. 6. De caussis in romana curia tractandis vel non. 7. De appellationibus ad curiam romanam. 8. De officiis Cancellariæ & Pœnitentiariæ. 9. De Exemtionibus & Incorporationibus tempore schismatis factis. 10. De commendis. 11. De fructibus medii temporis. 12. De non alienandis bonis Ecclesiæ romanæ. 13. Propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi & deponi. 14. De extirpatione Simoniæ. 15. De dispensationibus. 16. De Provisione Papæ & Cardinalium. 17. De Indulgentiis. 18. De decimis. Circa

Avisamenta Constantiensia.

hæc

(k) Hist. Eccles. ad sec. XV. diss. 3. c. 13. Nro. 42. & Hæberlin Neue Historie V. B. S. 176.

hæc tamen reformationis puncta decidenda valde diffidebant inter se Nationes & Cardinales: Natio enim Germanica & Anglicana cum Sigismundo Imp. propositam reformationem ante Electionem accelerandam: econtra Cardinales cum reliquis Nationibus post Electionem Romani Pontificis differendam vehementer urgebant. Tandem Natione Anglicana ad reliquas deficiente Natio Germanica cum Sigismundo Imp. non aliter consensit, nisi prius subsignato *cautionis decreto*, ut post Electionem Papæ fieret reformatio, cujus tenorem exhibet Alexander Natal. loc. cit. n. 47. *Sacrosancta* &c. *statuit & decrevit, quod futurus summus Pontifex per Dei gratiam, & pro primo assumendus, cum hoc sacro concilio vel deputandis per singulas Nationes debeat reformare Ecclesiam in capite & curia romana, secundum æquitatem, & bonum regimen Ecclesiæ, antequam hoc concilium dissolvatur super materiis articulorum, videlicet* &c.

§. 7.

Nationum dissidia.

Hoc tuta salvatorio Natio germanica post vota 23. Cardinalium & 30. Deputatorum tandem majora in Cardinalem Ottonem de columna sub nomine Martini V. Romanum postea Pontificem conspirantia, publicatamque Electionem instanter, instantissime urgebat promissam reformationem porrecto Monitorio dd. 1. Jan. 1418. quo supradicti articuli renovabantur (l); reliquis Nationibus solum ægre ferentibus moram istam. Quibus tamen ut aliquatenus satisfaceret Martinus V. neo-electus Pontifex quamdam punctationem ad articulorum reformatoriorum ordinem compositam deliberationi Nationum ulteriori tradi voluit, quam exhibet Harzheim (m). Sub ipso autem deliberandi spatio dissensiones inter ipsas Nationes, nescio quibus artibus, disseminabantur; & sic tentatum est non jam generalia cum omnibus Nationibus, uti propositum erat, sed particularia cum singulis concordata erigere. Id quod mox ex voto successit cum Natione Germanica, & Anglicana: hujus quidem concordata sex articulis conclusa tum *in collectione Coletana Tom. XVI. col.* 740. tum *in collectione Concil. magnæ Britanniæ & Hiberniæ Wilkin-*

(l) Häberlin Neue Hist. V. B. S. 186.

(m) Collect. Concil. German. Tom. V. pag. 134.

kinsiana Vol. III. pag. 391. invenies: illius autem, utpote nostra; sequenti § breviter recensenda duxi. (n) Galliæ vero postulata silentio præteriisse Martinum V. notat Thomassinus (o): prout neque de concordato Hispanico, novis dissidiis exardescentibus, aliquid occurrit. Illa tamen duabus Nationibus feliciter imposita & acceptata concordata in sess. XLIII. publicata, solenniterque confirmata fuerunt.

§. 8.

Recensio concordati Constantiensis.

Quorum quidem varia prostant exemplaria (p) numero Capitulorum tantum, non reipsa discrepantia. Præstat autem ex collectione Conciliorum Germanicorum synopticam notitiam rei ecclesiasticæ germanicæ delibare: & quidem

1. Ut numerus Cardinalium viginti quatuor non excedat, atque juxta requisitas qualitates ex omnibus partibus christianitatis assumantur.

2. Romanus Pontifex utatur reservationibus *juris scripti:* & extravagantium, *Execrabilis*, & *ad regimen.* Atque ut *Electiones* canonice factæ a Papa confirmentur in Ecclesiis Cathedralibus, & immediatis Monasteriis; secus in aliis, præsertim Monialium non nisi per commissionem in partibus: præfixo tamen tempore cap. cupientes. de Præb. in VI. expectandæ. *In collatione dignitatum & Beneficiorum* observetur inter Papam & collatores alternativa vacationum: exceptis dignitatibus post pontificales majoribus & principalibus in collegiatis Ecclesiis. — Porro de consensu & Beneplacito Nationis germanicæ statuitur, ut *sexta pars canonicatuum, & præbendarum sit pro Doctoribus aut Licentiatis in sacra pagina, vel altero jurium, vel in theologia Baccalaureis formatis, aut Magistris in Medicina, vel in artibus,* tam

C

(n) Häberlin loc. cit. S. 190. & 191. item Nachrichten von Juvavia S. 211.

(o) De V. & N. discipl. Tom. II. l. 1. c. 44. nro 7. ex Petro de Marca de Conc. Sac. & Imp. l. 6. c. 9. n. 5. & 6.

(p) Neue Samml. der Reichsabschiede I. Tom. pag. 111. — Collect. concil. german. Tom. V. pag. 142. & cit. ib. — ad Concord. Nat. document. Fascic. I. pag. 11. &c.

tam in cathedralibus quam in collegiatis Ecclesiis. Idem de majoribus Ecclesiis parochialibus.

3. *Annatæ* solvantur juxta taxam Librorum cameræ apostolicæ de Ecclesiis & Monasteriis virorum duntaxat, quæ *communia servitia* nuncupantur.

4. *Caussæ*, quæ ad forum ecclesiasticum pertinent, & *de jure* sunt per appellationem, aut alias ad romanam curiam devolutæ, tractentur in ea. *Ceteræ committantur in partibus.*

5. Majora Monasteria, dignitates majores post pontificales, Ecclesiæ parochiales nulli Prælato etiam Cardinali dentur *in commendam*: Ecclesiam metropolitanam tamen Cardinali commendare liceat.

6. *Simonia* tam circa beneficia ecclesiastica, quam circa ingressum religionis seu ordinis severissimis pœnis coercenda.

7. *Excommunicatos* ante denuntiationem & declarationem Judicis non esse vitandos.

8. *Dispensationes* circa ætatis defectum ad ordines & dignitates ultra triennium nullatenus impertiendas esse.

9. *Provisioni Papæ & Cardinalium*, rebus Ecclesiæ romanæ stantibus, ut sunt, aliter consuli haut posse, quam hucusque factum est, scilicet per *Beneficia*, & *communia servitia*, quæ *vacantia* nuncupantur.

10. *Indulgentiæ* in futurum restringendæ ne vilescant: antea concessæ ab obitu Gregorii XI. revocatæ & annullatæ sint.

Tandem præcipuam omnium germanorum attentionem meretur clausula finalis, prægnantissimis sane verbis perquam solenniter concepta.

§. 9.

II. Item Sanctissimus Dominus noster Papa et inclyta natio germanorum consenserunt, et protestati sunt, quod omnia et singula supradicta durare et tolerari debeant usque ad quinquennium duntaxat, a data præsentium numerandum: constitutionibus apostolicis, regulis cancellariæ factis et fiendis, et aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque. Quodque per observantiam illorum nullum jus novum Romano Pontifici, aut alicui alteri Ecclesiæ vel personæ acquiratur, seu præjudicium generetur. Sed lapso dicto quinquennio quælibet Ecclesia et persona prædicta liberam facultatem habeat utendi quolibet jure suo, non obstantibus supradictis. Clausula notabilis.

Quisquis jam bonæ indolis Germanus es, momentosa hujus clausulæ, & singula verba sæpius examinare, curateque ponderare, atque demum id mecum statuere ne hæsita, quod hæc clausula sit præstantissimum jurium ac libertatum Ecclesiarum Germanicarum præsidium, ac munimentum. Id quod sequentes illustrabunt observationes.

§. 10.

Atque inprimis omni prorsus dubio caret, hanc clausulam habere *vim veri pacti*, imponere bilateralem obligationem ex ipso jure naturali oriundam tam ex parte Romani Pontificis, quam nationis germanicæ; eandemque tamdiu stare, donec mutuo utriusque partis consensu immutetur; quod satis luculentum faciunt verba initialia: *Item Sanctissimus Dominus noster Papa & inclyta Natio Germanorum consenserunt & protestati sunt.* Ex quo aperte sequitur, 1mo. illa quorundam immoderata principia: Papam non posse ligari concordatis; & concordata ex parte Papæ non habere vim pacti, sed potius esse mera Privilegia, & gratias a Papa concessas; penitus enervari, confundique. Id quod ex instituto, & prolixiori argumentorum cumulo præstitit celeberr. Barthelius (r). Insuper 2do. quod huic clau- Observatio I. circa vim pacti.

(r) Differtat. general. in Concord. cap. 1. Sect. 2. n. 2. seqq.

ſulæ pactitiæ neutiquam unilateraliter, motu proprio, aut ex plenitudine Poteſtatis in iis, quæ continet, derogari, multominus contraveniri poſſit; neque alio modo, quam novo concordato illa modificari, mutari, aut tolli ſalva pactorum publicorum ſanctitate valeat. Unde quascunque conſtitutiones, ordinationes, reſcripta, licet generalia ſint, tamen obſtante hac clauſula ſpecialibus Eccleſiarum germanicarum juribus haut quidquam detrahere nullum dubium relinquitur: imo tanquam primaria, & fundamentalis regula, utpote vi pactitia, nobis præ reliquis Nationibus ſtabilitur.

§. 11.

Obſerv. II. circa Auctorem.

Deinde *Auctorem* & inventorem hujus clauſulæ fuiſſe Romanum Pontificem compaciſcentem Martinum V. ipſa verba initialia Concordiæ Conſtantienſis evidenter teſtantur: eoquod primum exemplar Nationi germanicæ ex parte Pontificis fuerit ad deliberandum oblatum: poſtea vero illa ipſa capitula concordata ab utraque parte ſponte ſuſcepta, atque conſueto libro Cancellariæ romanæ, *in quo Romanorum Pontificum conſtitutiones & ordinationes ſolent conſcribi ad futuram rei certitudinem*, auctoritate Vicecancellarii fuerint inſerta. Ex quo ipſo petentibus copiæ in forma authentica pro duodecim groſſis turonenſibus expediendæ forent. — Et certe Natio germanica, in cujus manibus nonniſi copiæ vidimatæ inveniuntur, in ſuis aviſamentis nequidem cogitavit de ejusmodi clauſula: quippe cujus potius intererat vel maxime ab oneribus eo citius liberari, quam diutius, & usque ad quinquennium illis obligari. Hinc jam eſt, quod ſiquidem ſenſus hujus formulæ dubium quidquam, aut obſcurum contineret, vel per quasvis excogitatas ſubtilitates, contortasque explicationes difficilis redderetur, primum locum haberet illa regula præcedenti capite §. 8. n. 5. præſtabilita, nimirum interpretationem in dubio caſu contra illum eſſe faciendam, qui clarius loqui debuiſſet, id eſt, prout ibidem deductum legitur, contra ſcribentem, contra auctorem Inſtrumenti pactitii. Sicque pro tali caſu longe favorabilior foret conditio Nationis germanicæ. Attamen dubio obnoxia eſſe haut poterunt verba luce meridiana clariora.

§. 12.

Poſtquam enim Romanus Pontifex conſenſu Nationis prorſus generoſo ſplendidiſſima jura obtinuit, ipſa Natio priſtinis, oneribus ſponte & ex ſingulari erga Romanum Pontificem reverentia, germanaque devotione ſeſe ſubdidit, ipſemet Martinus V. expreſſis verbis declaravit: *quod omnia & ſingula ſupradicta durare & tolerari debeant uſque* AD QUINQUENNIUM *duntaxat a data præſentium numerandum.* Inita fuerunt concordata iſta 20. Febr. 1418. uti advertit Clar. Hæberlin(s); condictum ergo quinquennium usque ad 20. Febr. 1423. currebat, quo veniente mox ipſo facto & jure obligare deſierunt, quæ fuerant ſtipulata. Quod cum ipſimet, quorum tantummodo intererat, compaciſcentes fateantur, jam palam eſt, ex illo anno 1423. 20. Febr. omnes, qualiscunque generis reſervationes Beneficiorum ſive juris ſcripti, ſive extravagantium ceſſaſſe; confirmationes Electionum omnium ad ordinarium, & immediatum ſuperiorem rediiſſe: alternativam collationem Beneficiorum ex eo momento quieviſſe: Annatarum genus, quod communia ſervitia nuncupatur, fuiſſe expunctum: verbo Nationem integram ab omni obligatione pacti ſolutam, dimiſſamque fuiſſe, ac ſic libertatem durante concilio Conſtantienſi tam efficaciter, tamque ſæpe ex omni jure poſtulatam tandem feliciter recuperaſſe. Quare jam per ſe patet, omne id, quod adverſus pretioſam hanc libertatis prærogativam poſtea tentatum, uſurpatumque fuit, non ſolum viribus carere, ſed inſuper etiam a grandi injuria Eccleſiis germanicis illata excuſari haut poſſe: ſententiam condemnatoriam ipſa hac clauſula quaſi ex ore proprio ferente. Cujus quidem obſervationis ratio infra dicendis multam lucem adfundere poterit.

Obſerv. III. circa tempus.

§. 13.

Tam ſancte autem Sanctiſſimus Dominus Martinus V. pleniſſimam libertatem, lapſo quinquennio, Nationi noſtræ promiſit, ut nullum omnino præjudicium aut reſtrictio qualiscunque eidem timenda foret; eoquod expreſſe addiderit: *Conſtitutionibus Apoſtolicis, Regulis cancellariæ factis & fiendis, & aliis* in

Obſerv. IV. circa conſtitutiones pontificias.

(s) Neue Hiſt. V. B. Seite 190.

in contrarium faciendis non obstantibus quibuscunque. Sensu & effectu præclarissima verba! Sic enim ipso summi Pontificis oraculo declaratur, immunitatem a Concordatis Constantiensibus deinceps redintegrandam nullis constitutionibus restringi posse: atque regulas cancellariæ sive factas, sive pro vario Romanorum genio & ingenio faciendas in Germania plane nihil valituras: quarum tamen onus haut exiguum sentire debent tum Belgium, tum Gallia, uti notat Vanespenius (t), ita quidem, ut neque per mortem Pontificis expirent, sed perpetuæ sint, utpote publicis regni registris insertæ, veluti regula de publicandis resignationibus, de notitia verosimili &c. Huc respiciendo illæ Ecclesiæ quæ in subsequutis concordatis Aschaffenburgensibus propositam mensium alternativam acceptare renuissent, pristinis Cancellariæ regulis de octo mensibus ut ne gravari potuissent, præcipuum habuissent præsidium absolutæ libertatis suæ tuendæ; prout solæ Ecclesiæ Bambergensis & Würzeburgensis hoc onus alternativæ a se removisse, libertatemque suam justissimo titulo custodiisse ex illo tempore in hodiernum usque diem dignoscuntur. — Tandem hæc ipsa clausula pactitia aperte excludit, & quam largissime removet, quidquid odiosum, contrarium, aut gravatorium deinceps expirante quinquennio esse posset liberæ Ecclesiarum germanicarum conditioni.

§. 14.

Observ. V. circa observantiam concord. Constant.

Porro Martinus V. jam prævidisse merito videtur ex hoc ipso, quod Natio germanica insignia jura & emolumenta per Concordata Constantiensia ad certum tempus sibi cessisset, futuros fore, qui ex hac interimistica observantia nova aut perpetua jura sedi pontificiæ per qualescunque ratiunculas ac principia vindicare vellent, sicque parti compaciscenti grave periculum stipulatæ libertatis imminere: jam ad hoc omnino averruncandum publicam fidem suam interposuit sincerissimis hisce verbis: *Quodque per observantiam eorum nullum jus novum Romano Pontifici, aut alicui Ecclesiæ vel personæ acquiratur, seu præjudicium generetur.* Tanta ergo ipsius summi Romani Pontificis erat sollicitudo libertatis germanicæ postliminio reducendæ, ut etiam

omnem

(t) Jur. Eccles. T. IV. Comment. in Jus novill. §. 5.

omnem occasionem, ansamve illam quoquo modo lædendi, aut imminuendi a se suisque successoribus quam longissime remotam esse jusserit. Unde patet, nullam præscriptionem, nullam observantiam, aut consuetudinem juribus germanicis ecclesiasticis præjudiciosam aut contrariam pro futuris temporibus ex ista concordia initium sumere posse, sed tutissimo loco collocata esse antiqua nostrarum Ecclesiarum jura.

§. 15.

Obferv. VI. circa plenam libertatem Ecclesiarum.

Tandem hæc omnia, licet luculentissima recuperandæ denuo omnis libertatis testimonia SS. D. Papæ tanta nondum videbantur, ut non etiam alia, prioribus quoque præponderantia adderet; clausulam his verbis finiendo: *Sed* LAPSO QUINQUENNIO *quælibet Ecclesia & persona prædicta* LIBERAM FACULTATEM HABEAT UTENDI QUOLIBET JURE SUO, *non obstantibus supra dictis.* Præclarissima hæc verba, siquidem *stricte, & secundum communem loquendi usum*, uti debent juxta regulam cap. 1. §. 8. n. 2. *sumantur;* siquidem ita explicentur, *ut actus potius valeat, quam pereat;* ad normam n. 3. loc. cit. siquidem *evitanda sint quæ ad absurditatem deducere possunt*, uti statuitur loc. cit. n. 4. & siquidem *nullum verbum clausulæ frustraneum censeri debeat*, prout dictum supra n. 1. certe nullam aliam significationem recipere possunt, quam finito quinquennii termino jura in alios interim translata, ac sponte suscepta penitus expirare, & jura priora, sua & propria mox reviviscere; sicque pristinam libertatem in avisamentis Constantiensibus sub Regum & Principum auspiciis tam ardenter postulatam, quæsitamque ad ingentem Ecclesiarum Nationisque germanicæ lætitiam ac consolationem felicissimo numine redituram. *Liberam facultatem habeat utendi quolibet jure suo.* Atqui Ecclesiæ germanicæ, cathedrales, collegiatæ, abbatiales splendidissima jura, ipsis, ut dictum est, romanis Pontificibus mediantibus per pactum calixtinum recuperarunt, scil. jus liberæ electionis, metropoliticæ confirmationis, aliarum exinde descendentium prærogativarum; notissimum est, collatores germanicos ante constitutiones pontificias Beneficiorum reservatorias exercuisse ordinarium jus beneficia conferendi, providendique: Annatas posteris temporibus, sede romana ad urbem Avenionensem translata, fuisse impositas;

alia-

aliaque onera, exactiones, multiplicesque caussarum ecclesiasticarum foro ordinario praejudiciosas ventilationes, discussionesque exinde sumsisse initia, contra jura ac libertates Ecclesiarum nostrarum. Jam haec omnia si removeantur, & prout concordatum fuit, restituantur, tunc quaelibet Ecclesia *jure suo quolibet*, juxta mentem ipsius Romani Pontificis gaudere poterit, sicque plenum haec clausula sortietur effectum. Ex cujus plane perspicuo tenore ulterius conficitur Romanum Pontificem scribere voluisse *duas praecipue regulas; primam* quidem non solum pro illis, sed etiam pro futuris, nostrisque temporibus duraturam, nimirum, ut nulla constitutio, ordinatio, aut rescriptum romanum juribus & libertatibus publico & solenni pacto munitis, invita Natione germanica, derogare, aut praejudicare deinceps possit: unde deducitur quasdam extravagantes post solennem istam stipulationem editas in germania nostra usum aut effectum haut habere ob praejudicium, quod exinde praedictae clausulae infertur; prout est *extravagans 14ta. de Praeb. inter comm.* qua Paulus II. anno 1467. novum reservationis modum scil. manus adpositionem Romani Pontificis, inducere intendit: & sic de aliis ejusmodi. *Alteram* vero regulam hanc dedit Martinus V. ut in casu dubio semper favorabilior debeat esse conditio Ecclesiarum germanicarum. Hinc juribus adinvicem collidentibus planam sententiam dicit haec clausula, *quaelibet Ecclesia liberam facultatem habeat utendi quolibet jure suo.* Quid ergo pronuntiandum sit circa illa, quae etiam moveri potuerunt, dubia & controversias ratione dignitatum post pontificales majorum, & principalium in Ecclesiis collegiatis; ratione diversi generis Annatarum; ratione juris consecrandi, & ceterorum post concordata Aschaffenburgensia praetensorum, facile patet; & eo securius jura ecclesiastica germanica exinde vindicanda erunt, quo securius, & sub firmissimo pacti ac solennis concordati munimento ex omni parte inconcussa stat, & semper stabit clausula mox explicata.

§ 16.

Praerogativa Ecclesiarum germanicarum.

Quibus omnibus jam unicum adhuc addere liceat, & hoc praecipuum quidem. Nemini ignotum esse potest, quantum quantum Galli Ecclesiarum suarum libertates depraedicent, atque in

in universum orbem spargere soleant, ita ut, observante Clar. Zallweinio (u) scriptores, qui pro suarum Ecclesiarum Gallicanarum libertatibus scripserunt, tot sint, ut vix in numerum cogi valeant. Ast quibus quandoque fundamentis, quibusve argumentis hinc inde suffulti? Profecto nunquam tantis, quanta Germanis pro defendendis suarum Ecclesiarum juribus libertatibusque ad manus sunt. Habemus enim pacta publica, & solennia, coram concilio generali, illius adeoque consensu & confirmatione celebrata, atque inter Romanum Pontificem & Nationem germanicam conclusa, concordata: in quorum eo firmiorem obligationem, valoremque ipsimet compaciscentes Romani Pontifices quibuscunque juribus contrariis & quomodolibet præjudiciosis expresse, & formaliter renuntiarunt, atque sic propria sua auctoritate & voluntate jura ordinaria, antiqua & propria salvarunt, & simul firmissime corroborarunt; cujus documentum præcipuum præbet Clausula Constantiensis; *Lapso quinquennio quælibet Ecclesia, & persona prædicta liberam facultatem habeat utendi quolibet jure suo.* Hinc jam nemo diffiteri voluerit, germanicarum Ecclesiarum jura ac libertates longe firmiori, tutiorique loco, taloque subsistere, quam aliarum, & etiam Gallicanarum: de quibus Magnif. P. Zallwein jure merito pronuntiat *loc. cit. c.* 3. §. 1. „Si quæ est in orbe Christiano universo Ecclesia in plures divisa ac diffusa Ecclesias, quæ in „Hierarchia ecclesiastica non modo, sed etiam Imperio politico „singularissimis, iisque prorsus eminentissimis gaudet juribus, „privilegiis, libertatibus, ac prærogativis, ea profecto est Ecclesia germanica in suo corpore accepta, quæ tot sunt ac tantæ, ut si cum juribus, præeminentiis ac prærogativis aliarum „Ecclesiarum per omnes Nationes, regna & provincias dispersarum comparentur, cæteras omnes quam longissime superare „videantur.„ Quo breviter deducto id notes velim, non de aliis, quam de veris, genuinis, & propriis libertatibus & juribus Ecclesiis germanicis, Deo dante, vindicandis, esse sermonem: neque me cogitare quidem de illis, quas hesterni quidam auctores in suis publicis scriptis obtrudunt, quasque potius *temeritates*, quam *libertates* merito dixeris.

(u) Princip. Jur. Eccles. Tom. IV. Q. III. Cap. II. §. I.

CAPUT III.

DECRETA BASILEENSIA MODIFICATA SUNT VERA CONCORDATA INTER ROMANUM PONTIFICEM ET NATIONEM GERMANICAM.

§. 1.

Clausulæ Constantiensis fata.

Quanquam Martinus V. Rom. Pontifex in fine Concordati Constantiensis solenniter promiserit, Nationemque germanicam de libertate Ecclesiarum suarum post quinquennium securam, tutamque esse jusserit, *quod per observantiam illorum* (concordatorum) *nullum jus novum Romano Pontifici aut alicui Ecclesiæ vel personæ acquiratur, seu præjudicium generetur*: tamen eventus rerum post annum 1423. ita contrarium docuit, ut hæc ipsa expresse limitata observantia novum quasi titulum curiæ romanæ præbuisse videretur reservationes suas persequendi, nova onera imponendi, & interimistica concordata in futura tempora protrahendi. Sic insuperhabito plenæ libertatis pacto mox anno 1428. Ecclesiæ Salisburgensi, Joanne II. in Archiepiscopum electo, Annatæ ad 10000 flor. aur. fuerunt impositæ. (a) Eodem *novo jure* post extinctam concordiam anno 1428. Roman. Pontifex electionem canonicam Erhardi Ratisbonensis Episcopi rejecit, ac motu proprio Conradum Susatensem, SS. Theol. Doctorem, Episcopatui præfecit (b); quo libera eligendi facultas pacto calixtino munita eo gravius violata fuit, quo minus Capitulo Ratisbonensi quædam culpa imputata legitur. Immo observatur, quod durante concordiæ Constantiensis tempore anno 1421. Martinus V. splendidissimæ liberæ Electionis prærogativæ valde detraxerit, cum Electionem Frisingensem circa Joannem Grünwalder canonice factam propter translationem Hermanni ad Sedem Tridentinam irritaverit, substituto extraneo Italo, nempe Nicodemo de la Scala: quod quidem excusare voluit Celeberr. Historiographus, ex præpostero circa vacationem in curia principio. (c) His ergo factis

a

(a) Nachrichten von Juvavia S. 164.
(b) Uti refert Mausolæum S. Emerami Seite 260.
(c) Hist. Frising. Tom. II. p. 195.

a sanctis promissis recessum, a publica pactorum fide declinatum, & *nova jura*, certe non juxta dictam clausulam, introducta ad gravissimum totius nationis praejudicium continuata fuere.

§. 2.

Concilium Basileense imploratur.

Et quidem Natio germanica post finitum quinquennium rursus haut congregata in conciliis, sed dispersa tantum sese opponere neque valebat, neque audebat novis hisce in rem suam beneficiariam insultibus. Hinc nonnisi querelas, ac gravamina circumferebat, quin inceptis conciliis ac mox dissolutis Papiensi & Sienensi, licet Archiepiscopus Maguntinus Conradus, & Theodoricus Coloniensis per Papam singulariter ad reformandum cum ceteris statum ecclesiasticum, & libertatem Ecclesiæ conservandam vocati fuissent, referente Alexandro Natali (d) remedium quoddam aut sublevamen sperare licuisset. Omnes tamen Ecclesiæ postea salutem suam collocabant in Concilio Basileensi, tandem anno 1431. per Martinum V. aperto, atque per Eugenium IV. congregato, in auctoritatem amplissimam & eminentiam Concilii generalis unice confidentes. Quod propter grandia dissidia mox ab initio exardescentia dissolutioni vel saltim translationi ad urbem Ferrariensem proximum jam fuisset, nisi, mediantibus præsertim Sigismundo Augusto, Galliæ & Hispaniæ Regibus, ad omnium Nationum instantiam pro pace Ecclesiae reducenda, emendandis curiæ romanæ abusibus, ac tollendis gravaminibus unice intentis, propositum Eugenii IV. fuisset frustratum. Quare unitis studiis Patres Basileenses eo vel maxime invigilarunt, ut decreta Concilii Constantiensis reformatoria resuscitarent circa auctoritatem, & frequentiorem celebrationem conciliorum generalium: utpote quæ primarium Ecclesiis particularibus a curia romana gravatis præsidium præstare poterant: præterea liberæ electiones, earumque confirmationes immediatis Superioribus stabilitæ: reservationes generales & speciales, exceptis juris scripti, penitus cassatæ: regulæ cancellariæ, earumque substituta alternatio collationum sublatæ: Annatæ, promissa tamen compensatione, expunctæ: arbitrarius re-

(d) Hist. Eccles. ad Sec. XV. diss. VIII. art. 1.

cursus ad curiam, & frivolæ adpellationes omisso medio abrogatæ: Synodorum particularium celebratio, ac numerus Cardinalium ad certum ordinem redacta: aliaque id genus saluberrima decreta nonnisi ad abusus tollendos, ad scandala removenda, ad mores emendandos, ad sanctissimam Ecclesiæ disciplinam restaurandam respicientia unanimi Patrum consilio ordinabantur.

§. 3.

Concilii Basileensis confirmatio.

Quibus omnibus supremam auctoritatem addidit secuta tandem confirmatio Eugenii IV. speciali Bulla ad Concilium Basileense ddo 18. cal. Jan. 1433. palam consignata, cujus initium: *Dudum sacrum generale Basileense Concilium*: in qua expresse profitetur, referente Alexandro Natali (e) „Sacrum generale „Basileense Concilium, per generalium Constantiensis & Senen-„sis conciliorum statuta, ordinationesque Martini Papæ V. ac „suas pro extirpatione hæresum, pace populi christiani, ac ge-„nerali reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, & per-„tinentibus ad ea legitime inchoatum, a tempore prædictæ in-„choationis suæ legitime continuatum fuisse & esse, prosecu-„tionemque semper habuisse, continuari, ac prosecutionem ha-„bere ad prædicta & pertinentia ad ea perinde ac si nulla disso-„lutio facta fuisset. Quin imo, pergit, præfatam dissolutionem „de consilio & assensu Cardinalium apud se existentium, irritam „& inanem declarat: seque ipsum sacrum generale concilium „Basileense pure & simpliciter, & cum affectu, ac omni deuo-„tione & favore prosequi. Utque suæ mentis integritas ac de-„votio, quam ad universalem Ecclesiam, & sacrum generale „Basileense Concilium gerit, omnibus constet evidenter, tres „Bullas seu litteras apostolicas super dissolutione concilii Basi-„leensis evulgatas abrogat & revocat.„ — Subjungit Natalis loc. cit. nro 61. „a vigesima quinta sessione synodus Basileensis „in duas partes scindi cœpta, sufficienter Ecclesiam universa-„lem repræsentasse non videtur. Unde christiani Principes ple-„rique edita deinceps ab ipsa contra Eugenium decreta impro-„barunt, & inter alios Sigismundus Augustus, qui hucusque „con-

(e) Hist. Eccl, ad Sec, XV, Diss, VIII, art. 3. n. 36.

„ concilio impenſe faverat: & Hiſpaniæ Rex, aliique Principes „ per oratores ſuos proteſtati ſunt contra ſeſſionis 26. 27. & 28. „ decreta. „ — Præterea dictum Romanum Pontificem eandem ſemper mentem circa decreta Baſileenſia foviſſe, ſuamque confirmationem denuo renovaſſe aperte teſtatur Mandatum legatis ſuis ad Diætam Francofortanam die 1. Sept. 1446. inſtituendam datum, his verbis: *Generalia concilia Conſtantienſe & Baſileenſe ab ejus initio usque ad translationem per nos factam, absque tamen præjudicio juris, dignitatis, & præeminentiæ ſanctæ ſedis apoſtolicæ ac poteſtatis ſibi, in eadem canonice ſedenti, in perſona B. Petri a Chriſto conceſſæ, cum omni reverentia & devotione ſuſcipimus, amplectimur & veneramur.* Quæ verba ſalvatoria ad Primatum Romani Pontificis, quem ſemper ſalvum, & integrum Natio germanica præſertim voluit, non vero ad prædictam reformationem pertinere, legenti mox patet, & ex infra dicendis confirmabitur. — Tandem concludit prælaudatus Natalis l. c. nro 64. auctoritate Nicolai V., qui in diplomate Spoleti anno 1449. 14. cal. Julii edito ſynodum Baſileenſem legitimam agnovit; *ſane cum unus e Legatis fuiſſet ad conuentum Prælatorum & Principum germaniæ ab ipſo deſtinatis ad ſynodi Baſileenſis decreta, ante dictam condita translationem, confirmanda, ab Eugenii mente ac decreto non receſſit.* — Nullum igitur jam dubium moveri poterit, decreta Baſileenſia reformatoria ex parte Romani Pontificis Eugenii IV. illiusque ſucceſſoris fuiſſe agnita, probata, & ſpeciali auctoritate confirmata.

§. 4.

I. Acceptatio decret. Baſileenſ. in concil. provincial. Maguntino.

Cum vero hæc decreta legitima, & auctoritate prorſus indubitata niterentur, ſublevandis Nationum gravaminibus accommodata, atque libertati Eccleſiarum germanicarum per pactitiam Clauſulam Conſtantienſem, qua de ſupra, ſolenniter promiſſæ, ac omni ex jure debitæ præprimis eſſent conformia, mirandum ſane foret, ſi Natio germanica ambabus illa ulnis amplexari, atque in ſui ipſius præcipuum favorem ac commodum omni ſtudio tueri conata non fuiſſet. Quem in finem, abhorrens vel maxime ad immortalem ſui nominis gloriam ab improba factione Baſileenſium Eugenium IV. ſuſpendentium, & demum exauctorantium, repudiatis in ſpecie hanc cauſſam concernen-

cernentibus decretis, inprimis Neutralitatem ad sex menses, postea ad sexennium prorogatam eligere statuit, in id deinde unice intenta, ut ipsamet decretorum Basileensium emolumenta sentiret, perciperetque. Quare Archiepiscopo Maguntino Theodorico supplicari inceptum, ut in proximo concilio provinciali illa solenniter acceptare, ac publicare coram Suffraganeis dignaretur, additis efficacissimis æque ac justissimis motivis, quæ prælaudatus Archiepiscopus in sua encyclica ad Suffraganeos convocandos ddo 21. Febr. 1438. maxime commendat, atque ut ex Gudeno (f) exscribantur, dignissima sunt: „Præterea „ Natio supradicta nos debita requisivit instantia, quatenus de„cretata in sacro Basileensi concilio super sublatione Reserva„tionum, propter quam cuilibet Ordinariorum Beneficia in „ Diœcesi sua vacantia libere incumberet conferre, (quibus etiam „ decretis cautum existit, quod ibi cause debeant tractari, & „ terminari, ubi originem assumpserunt, quodque non ommisso „ medio ad Papam, sed ad Ordinarium immediatum provocari „ debeat; quodque ejusmodi decreta auctoritatem Superiorum con„servarent, caritatem in inferioribus corroborarent, & innu„meris periculis & abusionibus obviarent) gratanter acceptare, „ per nostram Metropolim insinuare & publicare, ipsumque sa„crum Bas. Concilium manutenere, & favoribus nostris assi„stere opportunis, usque de ordine & modo, quibus Sanctitati „ sue dicti Domini nostri, aliisque Prelatis propter Annatarum „ subtractionem competens fieret provisio, avisare dignaremur; „ prout hæc per dicte Nationis venerabilem Oratorem liberiori„bus verbis existunt deducta. Et quis est, qui harum rerum „ magnitudinem non ponderabit! Rem itaque tam grandem, „ tamque arduam intactam relinquimus, majori & celebriori „ digestione pertractandam.„ Ex quibus aperte colligitur primam acceptationem decretorum Basileensium in concilio provinciali *absque modificationibus* fuisse propositam, atque etiam communi suffragio comprobatam, prout idem Archiepiscopus in aliis litteris ad absentes Episcopos, scil. Augustanum, Argentinensem, Hildesiensem, atque ad Religiosos diœcesis Maguntinæ die 7. & 8. Aprilis datis, eodem Gudeno referente (g) fidem

(f) Cod. diplom. Tom. IV. p. 233.

(g) Cod. diplom. Tom. IV. p. 240. & 242.

fidem facit. Hinc etiam haut levis conjectura est, in hoc ipso concilio provinciali, vel haut diu post præparatam fuisse illam schedulam, quam sequenti anno in publicis Imperii comitiis protulit, atque decreta dicta cum suis modificationibus prælegit Theodoricus Ebbracht Canonicus Maguntinus ad gradus B. V. M.

§. 5.

II. Acceptatio decret. in comitiis Maguntinis.

Sequenti anno 1439. hæc eadem decreta in deliberationem publicorum Imperii comitiorum Maguntiæ die 26. Martii celebratorum venere, ubi in præsentia Legatorum Regis Alberti II., ipsorum Archiepiscoporum & Electorum Maguntini & Coloniensis, Oratorum Procuratorumque Trevirensis, Palatini, Saxonici, & Brandenburgici, item Archiepiscoporum Salzburgensis, Magdeburgensis, & Bremensis, testante instrumento acceptationis (h); ac etiam plurium extraneorum, veluti Cardinalis S. Petri ad vincula, Archiepiscopi Turonensis, & Episcopi Trecensis nomine Regis Galliarum, Castellæ vero Conchensis Episcopi, & nomine Ducis Mediolanensis Albigensis Episcopi (i) non minus, quam coram Oratoribus a concilio Basileensi missis, tanquam saluberrima statuta & *leges vere ecclesiasticæ*, statui ecclesiastico germanico præprimis accommodatissimæ unanimi totius Imperii & Sacerdotii consensu & auctoritate solennissime fuerunt selecta & acceptata, *saluis tamen in quibusdam ex eis declarationibus nostræ germanicæ Nationis, ac cuilibet nostrum singulariter in suis Provinciis, diœcesibus seu territoriis congruentibus & accomodis factis & fiendis suis loco & tempore opportunis exprimendis ac per sacrum concilium decretandis.* Quales modificationes fuere mox adpositæ ad decretum XII. Seff. de Electionibus: ad decretnm XXI. Seff. de tollendis Annatis: ad decretum XXIII. Seff. de restringendis reservationibus: & ad decretum XXXI. Seff. de collatione beneficiorum: & postea speciali Bulla confirmatoria concilii Basileensis post præmaturam mortem Alberti II. ratificatæ, uti petebatur, quam exhibet Reverendiss. D. Würdtwein (k), in cujus fine Patres Basileenses specialem addi-

(h) In concord. Nat. integr. T. I. p. 39.

(i) Raynald. Annal. Eccles. ad annum 1439. n. 19.

(k) Subsid. diplom. Tom. VIII. p. 109.

addiderunt clausulam *de Sanctione Pragmatica* circa acceptata decreta erigenda sub his verbis: *Ceterum pro firmiori omnium premissorum subsistencia carissimo ecclesie filio Friderico Romanorum Regi illustri, necnon venerabilibus & dilectis ecclesie filiis nobilibus viris sacri Romani Imperii principibus Electoribus, ceterisque quos ad hoc duxerint assumendos super premissorum observancia* PRAGMATICAM SANCTIONEM *conficiendi, eamque penis & censuris, quas convenire noverint, vallandi & corroborandi plenam & liberam auctoritatem universalis ecclesie tenore presentium concedimus potestatem ac etiam facultatem.* Subjungitur postea formula decreti irritantis ad Archiepiscopos directa. Hæc ipsa *Sanctio Pragmatica* Friderici III, ut puto, edenda promittitur in concord. Nat. germ. integr. Tomo I. pag. 15. Diversum autem ab hac sanctione opus illud videtur quod Novellæ Wirceburgenses literariæ XV. St. Seite 138. an. 1789. a celeberr. & de re beneficiaria concordatisque jam aliunde meritissimo viro Christ. Guilielmo Koch Argentoratensibus typis anno præsenti editum sub titulo: *Sanctio pragmatica Germanorum illustrata*: jure merito deprædicant, quod tamen nondum obtinere potui. — Ceterum de sanctione pragmatica Gallicana dicere pagellarum limites haut permittunt, ad solum statum Ecclesiarum germanicarum attendentibus.

§. 6.

III. Acceptatio in provincia metropol. Salisburg. diœcesi Frising. & tota Bavária.

Ex hoc splendidissimo totius Imperii conventu auctoritas acceptatorum Decretorum in omnes provincias, ac diœceses diffundebatur, postquam Legati copias authenticas ad suos retulerunt Metropolitas, quorum mandato & auctoritate in diœcesibus Suffraganeorum promulgata, atque recepta fuere. Præclarissimum desuper exemplum Joannes II. Archiepiscopus Salisburgensis, qui transsumtum acceptationis per suum Oratorem Joannem Duster ex Maguntia allatum, nuper primum a celeberr. viro Floriano Dalham in collectione Conciliorum Salisburgensium eruditissimis notis adornata pag. 211. ex tabulario secretiori aulico typis evulgatum, sequenti anno Nicodemo Episcopo Frisingensi, suo Suffraganeo submisit, qui in synodo diœcesana anno 1440. 2. Sept. habita illud inter statuta dioecesana receptum publicari, atque ab omnibus stricte observari mandavit: *Nos vero mandatis superioribus obedire, veluti tenemur, volentes, dicta decreta, si-*

cut

aut & præmittitur, accepta, cum quorundam ex iis qualificationibus, & modificationibus præsentibus nostris statutis duximus quoad ipsorum initia adjungenda: mandantes, quatenus omnes & singuli utriusque status homines nostræ diœcesis, quorum interest, ea fideliter observent sub pœnis in eisdem contentis: (l) quo ipso elucet seria & studiosa voluntas reformandi disciplinam ecclesiasticam secundum normam decretorum Basileensium; id quod gravissimis sane mandatis imponit omnibus suæ diœcesi subjectis: „quo „ hæc statuta (queis dicta decreta etiam continentur) non „ tradantur oblivioni, & ne quisquam ignorantiam valeat al- „ legare, sed ut subditi possint in eis frequentius meditari, „ sub excommunicationis pœna præcipimus & injungimus om- „ nibus Abbatibus, Præpositis, Prælatis & Decanis, ut tran- „ scriptionem prædictorum & copiam totalem, ac plenam ha- „ beant, & ea bis in anno de verbo ad verbum Abbates & „ Præpositi, convocatis omnibus Monachis & Canonicis regu- „ laribus, & Præpositi seu Decani cathedralis & collegiata- „ rum Ecclesiarum, Canonicis in unum collectis; Decani ve- „ ro singuli in conventu, collegio seu capitulo, suis confra- „ tribus omnibus, etiam non curatis, accersitis publicent & „ perlegant, aut publicari & perlegi faciant. In contrarium „ contra hujus statuti neglectores seu contemtores inquisitio- „ nem habebimus diligentem, pœnas exactissime persecuturi." Cum autem vix non integra, qua late patet, Bavaria ad archiepiscopalem provinciam salisburgensem pertineat, atque diœcesis frisingensis in potissimam superioris Bavariæ partem sese exporrigat, plane omni dubio caret, decreta basileensia in Bavaria auctoritate metropolitica & episcopali promulgata, sæpius renovata, atque curatius fuisse observata. Id quod de Abbatibus & Præpositis omnino persuasum illi erit, qui noverit, plures, & vixnon omnes Abbates bavaricos partes concilii basileensis fuisse amplexatos eo libentius, quo majores favores, privilegia, commoda, & emolumenta rebus suis exinde reportarunt (ll); quippe vel ipsimet, vel eorum oratores ibidem præsentes, de quorum numero præcipuus erat celeberr. Joannes Köckius, Monachus tegernseensis, cujus varii tractatus inediti præter alia concilium basileense concernentia in antiquissi-

(l) Hist. Frising. Tomo II. Part. Instr. pag. 268.
(ll) Hist. fris. tom. II. pag. 213.

tiquiſſimo monaſterio tegernſeenſi aſſervantur. vid. etiam *Chron. Benedictoburanum pag.* 177.

§. 7.

Obſervatio in publicationem friſingenſem.

Ceterum hanc publicationem friſingenſem, uti occurrit in hiſtoria prælaudata, Perill. de Cramer (m) mendoſam & mutilam merito accuſat: deſunt enim præter quædam ſive amanuenſis, ſive typographiæ ſphalmata in fine ſequentia notatu digniſſima verba: *Ceterum, quod in natione noſtra in gratiis, quas dominus Papa adhuc facere habet, præferatur theutonicus non theutonico in Eccleſia theutonicali, præſertim parochiali. Similiter ultimum decretum triceſimæ primæ Seſſionis diſponens de cauſis & adpellationibus &c. quod incipit: Eccleſiaſticæ ſollicitudinis ſtudium* &c. Qua quidem a transmiſſo ſalisburgenſi inſtrumento acceptationis differentia notabili ſiniſtras quasdam conjecturas ac ſuſpiciones nuper excitatas fuiſſe ſcio, ac ſi Meichelbeckius verba finalia ſtudioſe detruncaſſet, reticuiſſetque. Verum quam remotiſſima ſit tanta a ſingulari Meichelbeckii fide & ſinceritate labes, tum publica & orbi literario ſemper æſtimatiſſima illius ſcripta hiſtorica teſtantur, tum ipſemet luculenter declarat, dum loc. cit. tom. II. pag. 224. auctores ſuos nominaverit, atque in ipſo, quod inſpexi, manuſcripto originali notam marginalem reliquerit *N. ex Harduino.* Præterea in aliis editionibus Meichelbeckium diu & integro ſeculo præcedentibus eadem ipſa verba deſiderari conſtat v. g. in ſplendidiſſima collectione conciliorum regia Pariſiis anno 1644. adornata, tomo XXXIII. pag. 721. in collectione conciliorum coletana tom. XIX. ad annum 1440. &c. Ipſum vero codicem Neocellenſem perluſtrare, hodie haut amplius datur, utpote in ultimo triſtiſſimo Monaſterii incendio, ut mihi reſponſum, flammis conſumtum. Et ſane ſiquis Eccleſiæ friſingenſis, qui illius temporis erat, ſtatum rationesque conſiderare voluerit, vixnon omne dubium diſparebit, ipſam Synodum prædicta verba reticuiſſe. Nam qui huic ſynodo præſidebat, erat a) Nicodemus Epiſcopus natione Italus ex Proſapia nobilium de la Scala, eodem animo, ut ne dicam, contra-

(m) Wezlar. Nebenſt. 50. th. nro. 2. S. 19.

trario, erga theutonicos certe non adfectus: Isipse b) olim anno 1421. ex curia romana ad sedem frisingensem promotus ea omnia, quæ aliquid præjudicii præseferrent, prorsus removere præ aliis obligatum se noverat; præsertim c) cum decreta basileensia provinciis & diœcesibus particularibus accommodare, & modificare cuilibet Episcopo salvum fuerit. Atque hæc ad notatam differentiam dilucidandam, fidemque clar. Meichelbeckii vindicandam haut insufficientia esse existimo. Nec tamen ista disparitas tanta esse videtur, ut solenni in publicis comitiis maguntinis factæ, ac in archiepiscopali provincia salisburgensi renovatæ acceptationi decretorum basileensium quidquam detrahere valeat: quemadmodum etiam parum refert, in subsidiis diplomaticis Reverendiss. D. Würdtweinii tom. VII. p. 343. desiderari decretum sessionis XXXI. *Ecclesiasticæ sollicitudinis studium* &c. in subjuncta decretorum singulorum recensione: quod ipsum acceptationis instrumentum expressis initialibus verbis exhibet *ibidem pag.* 336.

§. 8.

Post tam festivam, solennemque decretorum basileensium tum in tota germania, tum præsertim in nostra Bavaria promulgatam acceptationem jam nullum moveri poterit dubium, illa veram vim ac valorem *Legum ecclesiasticarum* in provinciis ac diœcesibus obtinuisse; utpote juxta quas disciplina ecclesiastica illis temporibus regebatur, atque Episcopi, Archiepiscopi aliique jura sua, juxta clausulam constantiensem jam ante plures annos competentia, exercebant. Præclarum desuper exemplum nobis exhibet prælaudata Ecclesia frisingensis, in qua Joannes Grünwalder Cathedralis Ecclesiæ Præpositus post mortem Nicodemi concordibus suffragiis secunda vice (uti ante annos XXII.) canonice electus suam confirmationem ab Archiepiscopo salisburgensi petiit, & obtinuit. Hocipsum confirmat clar. D. Dalham in novissima collectione concil. salisburg. pag. 214, auctoritate Reverendiss. DD. Würdtweinii plures synodos diœcesanas allegantis (n). " In hoc „ itaque acceptationis instrumento decreta basileensis concilii „ ceperunt vim novæ legis, a natione germanica in conventu Imperii latae, continuumque usum obtinentis in plu- „ ribus

Habent vim legum ecclesiasticarum.

(n) Subsid. diplom. tom. II. p. 324.

„ ribus moguntinis conciliis, quorum ſeriem adfert laudatus „ ſuffraganeus Würdtwein loco mox citato." — Quo tamen non obſtante Aeneas Sylvius in Eccleſiam friſingenſem, contra canonicam electionem, & confirmationem archiepiſcopalem prædicti Joannis Grünwalderi, ut alius Epiſcopus, nempe Henricus Schlick, frater Caſpari Schlick Cancellarii Friderici III. ſuis artificioſis machinationibus anno 1443. intruderetur, curare potuit. Hujus negotii literas lectu ſane digniſſimas exhibet prælaudatus Hiſtoriographus friſingenſis (o) futurarum litium inter dictum Joannem & Henricum incentivas, de quibus Bulla Eugenii IV. *inter cætera deſideria:* ddo. 7. Idus Febr. 1447. mentionem facit, quasque tandem per liberam Henrici ceſſionem anno 1448. ſopitas ſcribit allegatus Meichelbeckius.

§. 9.

Fata neutralitatis germanicæ.

Equidem exortis, durantibusque inter Eugenium IV. & Patres baſileenſes diſſidiis natio germanica optime ſibi conſultum exiſtimabat, ſi neutras partes pro illo tempore amplecteretur. Quem in finem Electores S. R. I. in publicis conventibus ſolennem inter ſeſe unionem jam anno 1438. 20. Martii ſub propriis ſigillis adpoſitis erexerunt, ipſam decretorum baſileenſium acceptationem iterum confirmantes anno 1439. 11. Nov. cujus copias refert Gudenus (p). Attamen brevi poſt funeſtos exitus habuiſſe, atque varia exinde diſcordiarum ſemina undique fuiſſe ſparſa docuit experientia. Unde varia conſilia capta, ac etiam recurſus ad Imperatorem pro deponenda hac indifferentia interpoſitus. Ut exempla res Patriæ noſtræ ſimul illuſtrantia adducam, ea, quæ habet clar. D. Dalham (q) audire juvat: „ Veruntamen poſt hæc omnia Imperii neutralis decreta Joannes Archiepiſcopus, cum vir eſſet „ animi modeſtia, virtute, ordine, & diſciplinæ ſtudio clariſſimus, qui jam anno 1420. ceu Præpoſitus, concilio ſalisburgenſi magna cum laude præſederit, ut ſupra vidimus, „ non leve animi pondus in hac Magiſtratuum colliſione & „ ex-

(o) Tom. II. pag. 234.
(p) Cod. dipl. tom. IV. p. 235 & 249.
(q) Collect. concil. ſalisburg. pag. 215.

„ exemtione obedientiæ perſenſit, deditque anno 1440. literas „ ad Fridericum III. Imperatorem, quibus orat Principem, vel„ let ad abrumpendos tandem conflictus operam, quam poſſet, „ maximam conferre: Neutralium quippe, ut dicebantur, per„ petua ab utroque magiſtratu avulſio ordinatiſſimo Præſuli nul„ latenus arriſit. Cohortatus igitur fuit Fridericus Imperator „ Doctores Univerſitatis viennenſis per literas, vellent cum paſ„ ſavienſi & friſingenſi Epiſcopis agere conventus, conferreque „ conſilia, quid in hoc neutralitatis tollendæ quæſito reſpon„ dendum eſſet Joanni Archiepiſcopo? Conventus vero ille, „ poſtquam diu, multumque utrinque diſputatum eſt, infecto „ negotio eſt ſolutus; propterea, quod duarum claſſium magi„ ſtri, theologiæ nimirum & artium doctores propenderent in „ partem concilii contra Eugenium Papam; quin imo inclytus „ ſacræ paginæ doctor Narciſſus Herz de Perching palam, & „ cum plurimorum plauſu defenderit, *quod unio talis* (Electo„ rum Imperii) *& neutralitas hodie poſt electionem S. D. Felicis* „ *V. dampnatur*, ut habetur in Cod. MS. bibliothecæ cæſareæ; „ etſi Eugenius IV. maxima adhucdum auctoritate potiretur, „ concilium baſileenſe anno 1438. avocaverit Ferrariam, ac de„ inde anno 1439. Florentiam a frequentiſſimis & latinis & græ„ cis Patribus celebratum.“ Verum non ſolum particulares doctorum conventus, ſed præcipue concilia provincialia maguntina Gudeno (r) literas encyclicas miſeri illius ſtatus teſtes referente, tollendi ſchismatis, atque deponendæ neutralitatis præcipuum ſibi negotium ſumſerunt. Præſtantiſſimam ſane operam, ac omnem ſuam auctoritatem eo contulit Fridericus III. Imperator, prout illius mandata oratoribus ſuis ad diætam maguntinam de anno 1441. 1. Febr. apud Gudenum (s), atque literæ ex conventu norimbergenſi ad Archiepiſcopum maguntinum datæ illius abſentiam accuſantes de anno 1445. apud eundem Gudenum (t) ad glorioſiſſimam ſui nominis memoriam manifeſte demonſtrant. Aſt nihil hucusque actum.

§. 10.

(r) Cod. dipl. tom. IV. p. 262.
(s) l. cit. pag. 266.
(t) l. cit. pag. 288.

§. 10.

Ex parte Nationis præparatur concordia cum Rom. Pont.

Tandem serenissimi S. R. I. Electores post tantas, ac gravissimas deliberationes ad pacem & tranquillitatem inter Sacerdotium & Imperium reducendam in diæta francofurtana anno 1446. 21 Martii instituta communi consilio in id convenerunt, ut natio germanica, deposita neutralitate, partes Eugenii IV. Papæ amplecteretur, eique obedientiam exhiberet: econtra Papa (præter reliqua huc non adeo pertinentia) in specie decreta basileensia sub Alberto Rege Romanorum acceptata suo consensu ratihaberet, atque in favorem nationis datis Bullis confirmaret: verba positæ conditionis expressæ refert Gudenus (u) Item daß er Bullen gebe von den Decreten des Concilii zu Basel, mit solchen Underscheiten, und in massen die durch Kunig Albrecht seligen und U. U. H. H. die Kurfürsten, zu Menze ufgenommen worden sint, versehünge gegen die Nuwekeiten, die dazuschen, als die Protestation hat gewehrt, u. noch wehren wirdet, gescheen weren, oder noch gescheen, und auch den Versorgnissen, nach notdurfft unser Nation, als das in Schriften begriffen ist. Und so Babst Eugenius solichs also getan, und die Bullen auf die gemelten Zit ungeverlich also unseren Herren geantwort hedte, so salte man Jne für eynen Babst halten, und ime gehorsam sin; u. doch in dem künftigen Concilio der Erclerunge der obgemelten Zweitracht in der h. Kirchen entstanden, warten; und was also in demselben Concilio wirdet ercleret, das sollen Electores eyntrechtiglichen ufnemen u. halten; und sollen auch zu diesenselben Concilio merglich u. treflichen schigken, also daß die Jren auf den letsten Tag des Aprils anni (1447.) do sin.

Id ergo ut obtineretur, decreverunt Electores tres Legatos ad Romanum Pontificem Eugenium mittere, suumque propositum Imperatori Friderico offerre, ut & ipse legationem suo nomine dirigere vellet, quo certius pax & concordia ex omni parte exoptatissima ad proximas calendas septembres restitueretur. Imperator in id lubenter consentiens legationis negotium Æneæ Sylvio concredidit, qui Nationis germanicæ mentem ac intentionem romano Pontifici proponeret: id quod susius ipsemet

(u) Cod. dipl. t. IV. pag 291.

met Æneas describit (x). Atque hæc sunt, quæ *ex parte Nationis* circa decreta basileensia ad futurum conventum francofurtanum unitis viribus fuêre præparata. Noverat enim illa hucusque *qua leges ecclesiasticas* ex publica acceptatione obtinuisse, juribusque suis, ac libertatibus vel maxime favisse. Jam ut hæc eo certius sarta tecta servaret, sibique omni meliori modo contra curiæ romanæ molimina consuleret, insuper *ad vim pactitiam* evehere conabatur, posita conditione se velle adhærere Eugenio, siquidem prædicta decreta confirmaret. Neque enim consensus pontificius ad rationem legum ecclesiasticarum requiri poterat, postquam illa juxta §. 3. speciali Bulla jam adprobata fuerunt: ergo solum ad id, ut se obligaret ad illa servanda, i.,e. ut concordata desuper publica iniret Pontifex romanus, datisque Bullis fidem suam contestaretur. Videamus autem, quid *ex parte romani Pontificis* actum sit?

§. 11.

Ex parte Roman. Pontificis instruitur legatio ad hanc concordiam.

Æneas Sylvius loc. cit. col. 124. narrat de legationibus germanicis Romam directis: „Vocati ad Pontificem Legati responsum acceperunt; quia mandatum non habent tractandi, quæ oporteret, missurum Eugenium ad conventum Electorum, responsurumque petitionibus eorum pro dignitate romanæ Sedis. Quo accepto conscensis equis Legati abierunt. Cum itaque romanus Pontifex se cum præsenti Legatione propter defectum sufficientis mandati tractare & concludere, quæ oporteret, concordiamque stabilire non posse videret, adpropinguante termino calendarum septembrium splendidissimam Legationem ad conventum francofurtanum, speciali mandato cum Natione germanica circa decreta basileensia componendi, recipiendi, & paciscendi, ne & hac vice negotium frustraretur, plene instructam destinavit, scil. Joannem Leodiensem, & Thomam Bononiensem Episcopos; Joannem de Carvajal cameræ apostolicæ auditorem & Nicolaum de Cusa Archidiaconum Brabantinum Ecclesiæ Leodiensis. Mandatum vero Pontificium, cum nobis de mente ac intentione summi Pontificis omni exceptione majus testimonium, plenamque fidem præbeat, atque ex-

(x) Histor. Friderici III. Imp. apud Kollarium in analect. Vindobon. tom. II. col. 122. & seqq.

exinde ipſa concordatorum ratio vel maxime illuſtretur, cumque Perill. de Cramer (y) illud in editione concordatorum Nat. germanicæ perperam omiſſum haut immerito arguat, integrum ex Raynaldi annalibus (z) exſcribere non duxi ſupervacaneum:

„ Eugenius Epiſcopus &c. &c. venerabilibus fratribus.... „ Leodienſi & Bononienſi Epiſcopis, ac dilectis filiis magiſtro „ Joanni de Carvajal Cameræ apoſtolicæ Auditori, Capellano „ noſtro, & Nicolao de Cuſa Archidiacono Brabantiæ in Ec- „ cleſia Leodienſi noſtris & apoſtolicæ Sedis Nuntiis, ſalutem „ & apoſtolicam benedictionem. Cum chariſſimus in Chriſto „ filius noſter Fredericus Rex Romanorum illuſtris, nec non „ venerabilis frater Theodoricus Archiepiſcopus Moguntinus, & „ dilecti filii nobiles viri Ludovicus comes Palatinus Rheni Ba- „ variæ & Fredericus Saxoniæ duces, ac Fredericus Marchio „ Brandenburgenſis ſacri romani Imperii electores per ſuos „ nuntios & oratores nobis nuper expoſuerint ad hujusmodi ef- „ fectum conſequendum (nimirum fidelium ſalutem promoven- „ dam ac ſubortum ſchisma extinguendum) maxime convenire, ut „ auctoritas generalium conciliorum manuteneatur, & Princi- „ pum nationis ſuæ in Kal. Septembris proxime futuri apud „ Francofordiam Maguntinenſis diœceſis teneri debere, ubi „ animorum ſuſpenſione ſeu neutralitate depoſita, præfati Rex „ Romanorum & electores integralem nobis & apoſtolicæ Sedi „ obedientiam, ut tenentur, facere propoſuerunt, *aſſerentes ad „ eam rem commodius & facilius conſumandam optimum fore de- „ creta Baſileenſis concilii per ipſam germanicam nationem accep- „ tata, a nobis & apoſtolica Sede cum executorum neceſſaria de- „ putatione recipi, approbari, confirmari*; quod ut efficere di- „ gnaremur, inſtanter & humiliter ſupplicarunt, nos ipſorum „ Regis & electorum ſupplicationibus inclinati, ad imitationem „ ſanctorum Patrum prædeceſſorum noſtrorum, quorum veſti- „ giis inhærentes gratum divinæ majeſtati obſequium præſtare „ non dubitamus, ſicut illi generalia concilia ſuis temporibus „ rite inſtituta atque canonice celebrata recipere, amplecti & „ venerari conſueverunt, *ſic generalia concilia Conſtantienſe ac „ Baſileenſe ab ejus initio uſque ad translationem per nos factam,*

„ abs-

(y) Wetzlar. Nebenſt. 50. th. Seite 19. Lit. d.
(z) ad an. 1446 num. 3.

„ *absque tamen præjudicio juris, dignitatis, & praeeminentiæ sanctæ sedis apostolicæ, ac potestatis sibi & in eadem canonice sedenti in persona B. Petri a Christo concessæ, cum omni reverentia & devotione suscipimus, amplectimur & veneramur.* Quia tamen „ præfati Rex & Electores super confirmatione decretorum per „ suam nationem acceptatorum specialiter institerunt, cum no- „ bis de illis non plene constet, cupiamus tamen eisdem Regi „ & Electoribus ac suæ nationis voto, quantum cum Deo possumus, „ annuere de vestra fidelitate rerumque experientia in agendis ple- „ nam in Domino fiduciam obtinentes, vos ad hujusmodi con- „ ventionem francofordiensem, aut alium quemcunque locum, ubi „ natio prædicta seu prælati & principes ejusdem convenerint, „ nuntios nostros cum plena potestate Legatorum de latere per „ totam nationem germanicam duximus destinandos, *vobis & vestri duobus in aliorum absentia, mandantes & committentes, quatenus de dictis decretis vos informantes, eadem cum deputatione executorum in natione germanica, ut opus fuerit, nostro & apostolicæ sedis nomine confirmetis, ratificetis, & approbetis,* pro- „ viso tamen ante omnia, quod in recompensam gravaminum, „ quæ ex aliquibus ex his decretis nobis & apostolicæ Sedi in- „ feruntur, debita fiat per nationem ipsam ac ejus prælatos „ nobis & ipsi apostolicæ Sedi provisio: super qua cum præla- „ tis & principibus ipsius nationis tractanda, concludenda & re- „ cipienda, necnon super aliis gravaminibus, quæ natio eadem „ prætendit moderandis, limitandis & auferendis, *ac demum super hujusmodi decretorum confirmatione, ratificatione & approbatione exequutorumque deputatione, vobis ac duobus vestrum, sicut præmittitur, tenore præsentium, plenam & liberam concedimus facultatem, & potestatem*, ratum & gratum habituri, & „ ex nunc habentes quicquid per vos vel duos vestri, appro- „ batum, deputatum, tractatum, conclusum, receptum, mode- „ ratum, limitatum, ablatum, actum, gestum, & quomodolibet „ factum fuerit, idque faciemus, auctore Domino, inviolabiliter „ observari. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis do- „ minicæ MCCCCXLVI. XI. Kal. Augusti pontificatus nostri „ anno * VII.

* XVI.

Ex quibus literis jam luculenter adparet 1mo. ſerius animus Romani Pontiſicis cum natione germanica componendi, ac transſigendi circa decreta baſileenſia retinenda ex una, & recompenſationem Sedi pontificiæ præſtandam ex altera parte. 2do. Ad hoc negotium perficiendum plenam & abſolutam poteſtatem habuiſſe Legatos denominatos: 3tio. Decreta baſileenſia non jam in ordine *legum eccleſiaſticarum*, ſed in ordine *concordatorum* ex utraque parte conſiderari, quatenus nimirum nationi favent; Pontifici vero nocent. Quare neque ullum dubium reliquum, quo minus Romanus Pontiſex ſeſe ad ineunda concordata germanica accinxerit.

§. 12.

In conventu francofurtano decreta baſileenſia vim pacti obtinent.

Jam ventum eſt ad ipſa comitia francofortana 1. Septembris aperta: quorum acta primus, ni fallor, in publicam lucem produxit Reverendiſſ. DD. Würdtwein (aa) ubi iſta circa paſſum concernentem occurrunt: „ Zum drittenmahl daſs ſein „ Heiligkeit die alte beſchwerung abſteilen, und germaniſchen „ getzunge nach der form der uſgenomenen decret, nach noth- „ durſt, unterſcheid und gelegenheit deutſchen getzunges, ver- „ ſehen wolle, daruff nun ſein Heiligckeit hat laſſen antworten, „ daſs er keine beſchwerung in germaniſche nation eingeführt „ habe, ſondern daſs ſein Heiligkeit ſolcher gerechtigkeit, die „ mann dem Römiſchen ſtuhl pflichtig iſt, in den gröſten nö- „ then der Kirchen emporen haben und das ſich vormahls ſein „ Heiligckeit, durch ſeine Legaten erbotten habe, über die al- „ te Beſchwerungen, ein Verſehung zu thun, und ſich nun „ darzu aber willig erbietet, und meldet das er nach noth- „ durſſt, unterſchied, und gelegenheit der Nation, gern ver- „ ſehen und verſorgen wolle, denen die ſolches begehren auch „ nach meinung der aufgenommenen decret und an den enden, „ da ſie uſgenommen ſeyn, in getrauen, daſs der allerdurch- „ leuchtigſt fürſt der Römiſche König und die churfürſten und „ die würdige Nation dem heiligen ſtuhl zu Rom, ohne der „ ſtadt, eine Widerſtattung thue, wie dan ſolch gewerb in den „ Babſt und des Babſtes antwort mit mehr worten inhaltet - - „ - und

(aa) tom. IX. pag. 70. ſubſid. diplom.

„ - und dieweil die Bäbstliche sendtbotten solchen uf diesen tag
„ mit nothdürftigen Bullen nit vollziehen konten, darumb,
„ dass die Minuten der Bullen, die darüber begriffen waren,
„ alsdan offentlich erzehlt ist, zu Rom, dem Babst nit uberge-
„ ben seye, *und uns solche antworten, so fern der nach möglich-*
„ *ckeit und Billigckeit nachgegangen wird, ein redlich gnüglich*
„ *antwort bedünckt, dass wir überckomen und einig worden seyn,*
„ *auf solche redliche weg bey einander zu seyn und zu bleiben,* und
„ um deswillen ein treffliche bottschafft zu Babst Eugenio für-
„ derlich zu schicken, allso ausgericht, dass die Botten darüber
„ und daran seyn, damit unser heilige Vatter der Babst *solcher*
„ *zusag nachkomme* und dessen nothdurfftige Versorgnuss nach
„ möglichckeit und Billigckeit thuen, und dessen seine Bullen
„ übergeben solle "

Verba ista singulorum Legatorum, Electorumque sigillis sub dato 5. Octobris 1446, corroborata manifeste demonstrant 1mo, tractatum fuisse circa manutenenda decreta & confirmanda: 2do, a Pontifice fuisse in ratione concordati confirmata, eoquod sibi recompensationem, quæ ex sua natura jura quædam cessa, amissa, translata, vel quocunque modo restricta supponit, reservaverit: 3tio, Nationi hoc modo fuisse satisfactum, 4to. atque sic concordiam, & vera pacta inter Romanum Pontificem & Nationem quoad decreta coaluisse juxta verba: *und uns solche antworten, - - ein redlich gnüglich antwort bedunckt, dass wir überkommen, und einig worden seyn, auf solche redliche weeg bey einander zu seyn und zu bleiben*: idque eo magis 5to, quo plenius instructi erant Legati ad concordandum: denique 6to, hanc concordiam fuisse initam absque termino, & absolute: salva solum compensatione condicta pontificia, neque 7mo, Bullas pontificias ad pacta ineunda, sed potius eo magis firmanda, faciliusque probanda requisitas fuisse. Quare jam his rite perpensis, siquidem pactum sit *consensus duornm vel plurium in idem placitum, l. 1. §. 2. ff. de Pactis,* plane non video, qua ratione diffiteri quis amplius valeat, Decreta basileensia in comitiis francofurtanis vim pactitiam revera assumsisse, atque ex eo tempore mutuam, & inter Romanum Pontificem & Nationem germanicam bilateralem ea observandi obligationem fuisse stabilitam, in hoc ex præsentia omnium S. R. I.

 Ele-

Electorum, ipsius Regis ac Imperatoris, plurium Archi- & Episcoporum tum per se tum per Legatos suos comparentium ipsorumque Legatorum pontificiorum longe splendidissimo conventu: praesertim, cum illis temporibus nemo dubitaverit, ibidem vera inita fuisse concordata, veluti id Cochlaeus Canonicus Wratislaviensis (bb) ex Codice antiquo ac coaevo testatum facit: *anno* 1446. *prima Septembris congregati Electores Imperii, --- in Francofordia cum Legatis Papae Eugenii, Cardinali Bononiensi seniore omnium, & Doctoribus Nicolao de Cusa & Joanne Carvajal* CONCORDARUNT, *ut Eugenius maneret in papatu, sic tamen, quod decreta concilii basileensis conservaret. Super qua concordia literis sigillatis sigillis Electorum.* (videntur deesse verba: *confectum est instrumentum*, uti supra allegatum). Atque haec acta fuerunt in frequentissima diaeta francofortana.

§. 13.

Superadditur confirmatio pontificia.

Prout in dictis comitiis conclusum fuerat, mox secunda legatio germanica Romam properavit, ut Bullas pontificias eorum, quae conventa & concordata fuerunt, magis confirmandorum gratia expediendas ab Eugenio Papa praestita juxta praescriptam formulam obedientia Nationis, impetrarent. Atque, ut refert Raynaldus (cc), *assensit his quatuor petitis*, UTI JAM A LEGATIS CONVENTUM FUERAT, *Eugenius instaurandae gratia pacis in Germania*: & mox petitas Bullas expediri jussit: quarum tantum illam, qua decreta basileensia confirmantur, quoad passum concernentem ob oculos ponere juvat, uti legitur in concord. Nat. integr. tomo I. pag. 127. & incipit: *ad tranquillitatem.*

Inprimis juxta consuetum curiae romanae stilum confirmat ea, quae hucusque, id est a die acceptationis maguntinae ab anno 1439. 26. Martii usque ad 1446. 1. Sept. seu potius 5. Octob. ad normam decretorum basileensium, qua legum ecclesiasticarum, in generali concilio editarum, in Ecclesiis germanicis fuerunt acta, adeoque *quoad praeterita*: „ Super „ aliis autem decretis Basileae editis & per clarae memoriae

„ quon-

(bb) Hist. Hussit. lib. IX. ad an. 1446. pag. 340.
(cc) Annal. eccles. ad an. 1447. n. 3.

„ quondam Albertum Romanorum Regem acceptatis, ex quo-
„ rum obſervantia Natio germanica præfata ex pluribus gra-
„ vaminibus dicitur relevari, contenti ſumus, volumus ac de-
„ cernimus, quod omnia & ſingula - - - - *quomodolibet geſta*
„ *vel acta ſunt*, cum omnibus inde ſecutis rata, firma & in-
„ violabilia perſiſtant &c. &c.

Deinde loquitur de gravaminibus *NB.* quorumdam Præ-
latorum per decreta prædicta læſorum tollendis, atque de re-
compenſatione Sedi apoſtolicæ præſtanda, per verba: „ Super
„ obſervatione vero & modificatione decretorum eorundem cum
„ nonnulli Prælati nationis præfatæ ex eisdem decretis grava-
„ tos ſe fore conqueſti ſunt, *cumque in illis apoſtolicæ Sedi, quæ*
„ *multum in ſuis juribus ex ipſis decretis gravata dignoſcitur, re-*
„ *compenſatio promiſſa ſit*, decernimus Legatum noſtrum cum
„ ſufficienti poteſtate ad partes Germaniæ hujusmodi transmit-
„ tere, qui mediantibus Rege, Archiepiſcopo, & Marchione
„ præſatis, ac aliis ejusdem nationis Principibus & Prælatis,
„ cum quibus fuerit opus, ſuper obſervantia & modificatione
„ Decretorum hujusmodi, necnon ſuper proviſione Sedi prædi-
„ ctæ faciendis tractare poterit, *& finaliter concordare.*

Tandem circa *futuram* Decretorum baſileenſium, & qui-
dem *qua concordatorum*, *obligationem* ita ſe exprimit Eugenius:
„ Permittentes *interim*, & indulgentes, quod omnes & ſinguli,
„ qui præfata Decreta receperunt, vel recipientibus, ut præmiſ-
„ ſum eſt, adhæſerunt in præfata natione, illis ſimiliter cum
„ modificationibus, quibus recepta ſunt, libere & licite uti poſ-
„ ſint, quas etiam circa ſingula præmiſſa manuteneri, & defen-
„ ſari volumus, *donec per Legatum hujusmodi*, *ut prædictum eſt*,
„ *concordatum fuerit, vel* PER CONCILIUM, QUOD AD PRÆDICTO-
„ RUM REGIS, PRÆLATORUM ET PRINCIPUM EXHORTATIONEM CON-
„ VOCARE PROPONIMUS, ALITER FUERIT ORDINATUM; *non con-*
„ *traventuri*, *nec contravenientibus conſenſuri quovis modo.* Spe-
„ ramus autem, & a certo tenemus, dictos Regem, Archiepi-
„ ſcopum, Marchionem & alios Principes & Prælatos tanquam
„ devotos ipſius Sedis non paſſuros, MEDIO TEMPORE Romanam
„ Eccleſiam remanere in ſuis juribus ſpoliatam.

Ex quibus jam prono alveo fluit, 1mo, quod, cum nonnulli Prælati germanici dicantur læsi, ipsaque Sedes apostolica multum in juribus suis gravata dicatur, atque recompensatio promissa allegetur, eoipso Decreta basileensia stare, valere, & vim pactitiam involvere necesse sit; secus enim, qua ratione læsio obtendi, aut recompensatio peti potuisset? Quoad læsionem ac provisionem tum Prælatis quibusdam, tum, salvis cæteroquin decretis basileensibus, Sedi pontificiæ præstandam omnino legenda est ordinatio in diæta maguntina facta, a clar. Würdtweinio relata (dd). Deinde 2do, quod Eugenius, stante etiam grandi, ut præfertur, præjudicio Sedis apostolicæ, nihilominus permiserit *interim*, & indulserit, *quod omnes & singuli* dictis decretis *libere & licite uti possint*, atque circa singula præmissa sint manutenendi & defendendi; insuper etiam fidem suam interposuerit, *se non contraventurum, nec contravenientibus consensurum quovis modo*, quid adhuc desiderari queat ad perfectam veri concordati rationem, reciprocamque obligationem pactitiam si scias, næ tu mihi dixeris. Porro 3tio quæ circa concordatum Legati, & futurum concilium conditio, ac terminus adponitur, quid operetur in sequenti capitulo ad oculum demonstrabitur. Satis est modo, per ipsas Bullas pontificias decreta basileensia, qua pacta & qua concordata, aperte confirmari.

§. 14.

Eugenius IV. pro veris concordatis agnoscit.

Accedit insuper, quod Eugenius IV. ea ipsa, quæ Francofurti acta & gesta fuerunt, tanquam *indubia concordata* agnoverit, atque expresse allegaverit in eodem, quod cum secunda legatione germanica Romæ habuit, negotio, dum Archiepiscopo Maguntino plenam facultatem dubia, & difficultates desuper occurrentes solvendi, componendique impertiit, specialemque Bullam ad manus Joannis Lysuræ Legati Maguntini dedit sub sexto Idus Febr. 1447. apud Reverendiss. DD. Würdtwein (ee): *tuæ fraternitatis sinceritas - - - promeretur, ut petitiones tuas his præsertim; per quas* CONCORDATA ET INITA INTER NOS CARISSIMUM IN CHRISTO FILIUM NOSTRUM FRIDERICUM ROMANORUM RE-

(dd) Subsid. dipl. tom. VIII. pag. 74.
(ee) Subsid. diplom. tom. II. pag. 330.

REGEM ILLUSTREM TE PRINCIPES ET PRÆLATOS PLURES NATIONIS GERMANICÆ MANUTENEANTUR, *ne ſuper illis difficultatibus inter contendentes oriantur ad exauditionis gratiam admittamus.* - - - *Vbi quotiens opus fuerit ſuper* ACCEPTATIONE DECRETORUM *ac poſſeſſorum pacificatione* JUXTA CONCORDIAM PREFATAM *litteras tuas teſtimoniales - - dandi concedendi & an ſub* CONCORDIA *& generalitate prefatis hi quorum intereſt contineantur. - - declarandi.* - Vices ſuas, prout etiam me non monente patet, & jura ſibi competentia, certe non ex alio, niſi concordatorum titulo neoadquiſita cedit Archiepiſcopo Maguntino Romanus Pontifex, ut vel ſic eo tutius manuteneantur, & conſerventur concordata nuper primum erecta.

§. 15.

Nicolaus V. illius ſucceſſor ſæpius confirmat.

Nil aliud ſentire, nec loqui potuit Eugenii IV. Succeſſor Nicolaus V. utpote rerum pertractatarum optime conſcius, ac ipſemet ſub nomine Thomæ Epiſcopi Bononienſis & Cardinalis ad comitia francofurtana pontificius Legatus miſſus. Hinc in literis ad Archiepiſcopum Maguntinum Theodoricum pro ſalvo conductu ſui Legati impetrando quinto Kal. Aprilis ſeu 28. Martii 1447. datis de hisce concordatis tanquam de re publica, & omnino notiſſima hæc narrat teſte Gudeno (ff): CONCORDATUM FUIT, UT NOSTI, *per chariſſimi in Chriſto filii noſtri Friderici Romanorum Regis illuſtris, necnon tuos, & alios plerosque Oratores nationis germanicæ, cum felic. record. Eugenio Papa quarto predeceſſore noſtro ſuper multis, bonum ſtatum, & commodum ejusdem nationis concernentibus.* Rurſus idem Nicolaus V. omnia jura, emolumenta, favores, ac commoda, quæ Nationi germanicæ tum per ipſa concordata francofurtana, tum per Bullas Eugenianas ſolenniter adquiſita fuere, etiam ad illos, qui poſtea ad pacem & unionem cum Sede apoſtolica redierunt, in ampliſſimis terminis, absque ulla reſtrictione largiſſima ſtili romani forma extendere ſeſe declarat in datis Bullis; cujusmodi legere eſt apud Raynaldum, & Meichelbeckium (gg) ad Joannem Grünwalder Epiſcopum friſingenſem poſt liberam ſui adver-

(ff) Cod. diplom. tom. IV. pag. 304.
(gg) Hiſtor. friſing. tom. II. pag. 229.

versarii Henrici Schlickii cessionem XVIII. Kal. Febr. seu 15. Januarii 1448., brevi ante aschaffenburgense concordatum tempore missas. - Singularem attentionem nostram meretur illa ejusdem Romani Pontificis Bulla, quam specialiter in favorem Ludovici comitis Palatini Rheni Bavariæ Ducis, ac S. R. I. Electoris, Ottonis & Stephani Bavariæ Ducum, Ludovici & Ulrici comitum Wirtenbergensium, Reinhardi Wormatiensis, Reinhardi Spirensis, item Argentinensis Episcopi pro se, ac ecclesiis, populo & subditis quibuscunque pridie nonas seu 4. Decembris anno 1447. sub eodem tenore Bullarum Eugenianarum, præsertim illius, quæ incipit: *Ad tranquillitatem*: confirmatoriam dederat. Ex quibus haut obscure colligere licet, decreta basileensia non solum prout sunt *Leges ecclesiasticæ*, quod supra monstratum §. 6, sed etiam quatenus habent rationem *Concordatorum* ad nostram Bavariam præcipue pertinere; postquam Eugenii successor illorum vim valoremque nova sua auctoritate in quorumdam specialem favorem confirmandam duxerat.

§ 16.

Dicta concordata in clausula constantiensi fundantur.

Et sane, haut equidem me falli existimo, si adfirmem, decreta basileensia, qua concordata per Eugenium IV. & Nicolaum V. RR. PP. confirmata, haut exiguum momentum capere ex supradicta *clausula constantiensi.* Per hæc enim reservationes tam generales quam speciales, excepta, quæ juris scripti dicitur, tolluntur; alternativa collationum, in regulis cancellariæ fundata, cessat: confirmationes Electionum ad immediatum superiorem reducuntur: annatæ expunguntur; caussarum ecclesiasticarum pertractatio præscribitur; & plura talia jura Ecclesiis germanicis restituuntur; libertates, emolumenta, ac favores vel maxime, ut cuilibet perspicitur, defenduntur. Atqui hæc omnia Ecclesiis germanicis jam a 23. annis post finem quinquennalium concordatorum, & quidem jure stricto, id est, vi pacti deberi ipsemet Romanus Pontifex Martinus V. ibidem simul compaciscens, & testis omni exceptione longe major expressis verbis fatetur: LAPSO DICTO QUINQUENNIO QUÆLIBET ECCLESIA ET PERSONA PRÆDICTA LIBERAM FACULTATEM HABEAT UTENDI QUOLIBET JURE SUO *non obstantibus supradictis.*

Quid

Quid ergo impedit, quo minus dicatur, plurimum non ſplendoris, ſed ponderis & auctoritatis ex clauſula conſtantienſi in decreta baſileenſia, & quidem vere pactitia, ex utraque parte omnino obligatoria derivari? cum dicta clauſula involvat evidentem rationem concordati inter Romanum Pontificem & Nationem germanicam juxta cap. præced. §. 10. obſerv. I.; cum decreta baſileenſia tantum Nationi noſtræ ea præſtiterint, quæ ibidem ſancte fuerunt promiſſa; cum libertates & jura Eccleſiis germanicis ſic reſtituta neutiquam tumultuario, ſed prorſus juſtiſſimo titulo, nullis malis artibus, ſed modo vere germano, i. e. pactis publicis fuerint adquiſita. Nil minus ergo, quam piaculo dari poterit Majoribus noſtris tam firmiter illos adhæſiſſe decretis baſileenſibus, atque omnia etiam moviſſe, ut illis eo tutius cuſtodiendis vim & valorem concordatorum in publicis Imperii comitiis, conſenſibus ex utraque parte compaciſcentium ſolenniter præſtitis, tandem conciliarent.

§. 17.

Ceterum ex hucusque deductis haut difficulter perſpicies, quid valeat illa proteſtatio Eugenii IV. Mandato ſuorum Legatorum inſerta, ſupra §. 11. relata: *absque tamen præjudicio juris, dignitatis* &c. quidve ſentiendum ſit de illo, quod circumfertur, concluſis concordatis ſuperaddito ſic dicto ſalvatorio: *Decet Romani Pontificis prudentiam* &c. dd. 5. Febr. anno XVI, exhibente Raynaldo (hh). Salvatorium Eugenii IV. non obſtat.

„ Nos ad vitandum omne ſcandalum & periculum, quod „ exinde ſequi poſſet, nolentes aliquid dicere aut confirmare „ vel concedere, quod eſſet contra ſanctorum Patrum doctri„ nam; vel quod vergeret in præjudicium hujus ſanctæ apoſto„ licæ Sedis, quoniam propter imminentem nobis ægritudinem „ non valemus omnia per eos petita & per nos conceſſa, cum „ ea integritate judicii & conſilii examinare, & ponderare, quæ „ rerum magnitudo, & gravitas requirit, tenore præſentium „ proteſtamur, quod per quæcunque a nobis dictis Regi, Ar„ chiepiſcopo, Marchioni, Prælatis, Principibus, ac nationi, re-

G „ ſpon-

(hh) Annal. Eccleſ. ad an. 1447. n. 7.

„ ſponſa & reſpondenda, conceſſa & concedenda non intendimus „ in aliquo derogare doctrinæ ſanctorum Patrum, aut præfatæ „ Sedis privilegiis & auctoritati, habentes pro non reſponſis & „ non-conceſſis quæcumque talia a nobis contigerit emanare. Ad hæc verba dilucidanda, omnemque errorem cavendum illud, quod in fronte ex conſult. Barthelii Diſſ. general. de concord. cap. 1. Sect. 1. n. 12. præfixum eſt, lemma omnino, ut puto, ſufficere poterit. Verum audiamus eruditiſſime, ut ſolet, docentem Nellerum (ii) *Hoc qualecunque ſalvatorium nihil operatur in rei veritate; quia licet infirmus fuerit Papa, infirma tamen non fuit curia, nec ipſa Sedes apoſtolica, de qua præſumi nequit, quod conceſſerit aliquid ſive contra doctrinam SS. Patrum, ſive contra vera & genuina privilegia cathedræ romanæ, eademque certa & indubitata: ſiquid cedatur quoad prætenſa & diſputata, ſalvatorium non evertit conceſſa, ſed unice prætenſionem in eſſe prætenſionis tantum tenus conſervat, ut ſiquid heterodoxum vel irremiſſibile juris, evidenter apparet, ipſa ceſſio corrueret: in tali autem materia non erat cum ſancta Sede Germania; neque enim omnia, quæ prætenduntur eſſe privilegia vel authoritates S. Sedis, ſunt re certa juris* divini, vel inabdicabilis, *ſicut Germani, Galli, aliarumque Nationum Doctores obſervarunt, & indies apertis magis oculis obſervant.* - Immo ipſemet Anonymus Auctor Febronii abbreviati cum notis *tomo III. pag.* 160. poſtquam ſalvatorium iſtud in rem ſuam miris modis detorquere conatus fuit, hocipſo poſtulatum Nationis eludi, & Nationi potius illudi bene perſentiſcens omnem difficultatem removiſſe ſibi videtur, dum concludit: *diſtinguendum eſt inter Poteſtatem ſummi Pontificis, &* USUM SEU EXERCITIUM *hujus poteſtatis*: POTESTAS *ſolum illo ſalvatorio ſalvatur*; USUS POTESTATIS *vero Pacto & concordatis reſtringitur.* Quorſum tantummodo reſpexiſſe Nationem germanicam compaciſcentem, neque illi quidquam Primatui, aut cathedræ apoſtolicæ contrarium, aut præjudicioſum etiam per illa turbulenta tempora in mentem veniſſe luculentiſſimum teſtimonium præbet illa ſolennis proteſtatio contra ea, quæ Eugenii IV. ſuſpenſionem, & exauctorationem attentatam concernebant, interpoſita: nec unquam contra Poteſtatem: ſæpius vero contra uſum Poteſtatis illam conqueſtam fuiſſe conſtat.

§. 18.

(ii) Diſſert. de certis decret. baſil. c. 1. §. 10. ni theſaur. diſſert. D. Schmidt tom. I. p. 279.

§. 18.

Hæc igitur cum ita se habeant, cum decreta basileensia in concilio generali pro reformanda disciplina ecclesiastica, atque pro redintegrandis Ecclesiarum particularium juribus ac libertatibus saluberrime concepta, & ipsius etiam Eugenii IV. R. P. auctoritate confirmata (§§. 2. & 3.) cum tam in concilio provinciali maguntino, ac postea publicis totius Imperii comitiis ibidem celebratis, tum in particularibus Metropolitarum provinciis, ac Episcoporum diœcesibus, ac ipsis etiam Bavariæ ditionibus *qua leges ecclesiasticæ* publica auctoritate acceptata (§§. 4. — 8.) ac postea in diæta francofurtana intervenientibus utriusque partis scil. Romani Pontificis ex una, & Nationis germanicæ ex altera consensibus *veram vim & obligationem concordatorum* assumserint, (§§. 10. — 13.) insuper novis & repetitis Bullis, & diplomatis pontificiis in ratione concordatorum corroborata, (§§. 14. & 15.) atque in ipsa clausula constantiensi (§. 15.) necquidquam obstante salvatorio Eugeniano (§. 17.) aperte sint fundata, quid quæso, si tamen semotis partium studiis, atque solius indagandæ veritatis gratia judicium ferre velis, quid aliud inferri poterit, quam DECRETA BASILEENSIA MODIFICATA ESSE VERA CONCORDATA INTER ROMANUM PONTIFICEM ET NATIONEM GERMANICAM. Quæ quidem variis nominibus hoc tempore compellari audimus: quidam simpliciter *Decreta basileensia* vocant a concilio generali, in quo fuerunt ordinata: alii *Concordata francofurtana* a loco, ubi naturam & valorem concordatorum obtinuerunt: reliqui *Concordatata Principum* dicunt, quorum certe gloriosissimis auspiciis illa esse adscribenda Ecclesiæ germanicæ fateantur oportet. Mihi perinde est, quocunque nomine utaris. Non ita tamen doctissimo Domino Gregel in egregia dissertatione *de Juribus Nationi germanicæ ex acceptatione Decretorum basileensium quæsitis, per concord. aschaffenb. modificatis aut stabilitis Moguntiæ an.* 1787. edita: in qua §. XXXVIII. & seqq. sub concordatis Principum aschaffenburgensia intelligi adfirmat, ex argumentis quidem haut contemnendis, nec tamen, ut mihi videtur, convincentibus: quibus diutius immorari modo non vacat. Sed potius properandum est ad ea, quæ Benevolus Lector circa decreta basileen-

sileensia præcipue expectabit, persequenda, nimirum illa non solum *fuisse vera concordata*, sed hodiedum *etiam esse:* eorumque valorem, sub quibusdam tamen limitationibus, etiamnum tuto loco consistere.

CAPUT IV.

QUÆ PER CONCORDATA ASCHAFFENBURGENSIA NON SUNT SUBLATA:

§. 1.

Diversæ Auctorum sententiæ.

Eorum, quibus suam circa decreta basileensia sententiam hucusque pronuntiare placuit, quosdam invenire est, qui illa unanimi statuum Imperii tam ecclesiasticorum quam secularium consensu in publicis comitiis maguntinis anno 1439. 26. Martii sub certis modificationibus acceptata fuisse fatentur, quin tamen unquam rationem concordati inter Romanum Pontificem & Nationem germanicam, deficiente nimirum, ut putant, utriusque partis consensu, obtinuerint. Alii vero illa, quæ tum in conventu francofurtano die 1. Sept. anno 1446. inter congregatos, ac sufficienti mandato instructos utriusque partis Legatos & Procuratores acta, & conclusa, atque in secunda ad Rom. Pontificem destinata Legatione germanica ratihabita fuerunt, plenam efficaciam, ac perfectam veri Pacti obligationem dictis Decretis conciliasse existimant. Attamen hæc omnia ultra annum durasse, aut post inita anno 1448. 17. Febr. concordata aschaffenburgensia adhuc vim habuisse & auctoritatem persuaderi sibi haut patiuntur. Denique tertii generis auctores Decreta basileensia gravissimis momentis vindicant, atque Aschaffenburgi non solum non sublata, sed potius, in quantum noviori concordiæ non obviant, iterum corroborata fuisse tum ex ipsis actis, tum ex aliis adminiculis præclare defendunt. -- Primæ sententiæ Patronos ad præcedens capitulum remittere eo magis juvat, quo luculentius ibidem vera Decretorum basileensium post conventum francofurtanum ratio inter Romanum Pontificem & Nationem germanicam ante oculos fuit posita. Alii ut in nostram quoque eant sententiam, præsentis capituli scopus erit. Ad hoc eo facilius, feliciusque obtinendum, illorum verba, nonnihil prolixiora recensere omnino opus esse videtur.

In-

§. 2.

Inter novissimos alterius sententiæ fautores occurrit Spittlerus Academiæ Göttingensis Professor celeberrimus, qui biennio abhinc elucubravit Geschichte der Fundamentalgesetze der deutschkatholischen Kirche im Verhältniß zum römischen Stuhle (a) stilo nonnihil liberiori, ubi mentem suam S. 373. & 374. ita exprimit: So war's denn erst noch auszumachen, ob die Basler Decrete künftighin auf ewig das Gränz-Regulatif der deutschen Kirche und des Römischen Hofes seyn sollten. So lag alles noch auf dem Spiele, wie der Legat, der Concordate zu schliessen nach Deutschland gehen sollte, mit uns Deutschen noch einig werde, oder wie die nächste allgemeine Synode entscheide. So mußte künftig noch zu Aschaffenburg, wo der letzte Vergleich-Ort seyn sollte, erst noch feierlich erklärt werden, daß mit gemeiner Einstimmung die Basler Decrete zum Grundvertrag angenommen, daß in diesen Decreten zum Vortheile des Pabstes nur diese geändert, und nach dem Bedürfniß der deutschen Kirche nur jene Puncte anders geformt worden seyen. Wenn zu Aschaffenburg nichts versprochen werden sollte, als daß alles, was Eugen zugesagt habe, falls es nicht ausdrücklich zu Aschaffenburg geändert worden, unverändert gehalten werden solle, so war offenbar nichts entschieden für die ewige Beybehaltung der Basler Decrete, denn Eugen hatte die ewige Beybehaltung derselben nie zugesagt, er war nicht länger an diese Decrete gebunden, als bis sein Legat mit den Deutschen concordirt hatte, oder wenn etwa der Vergleich, den sein Legat zu Aschaffenburg schloß, kein volles Concordat, sondern einstweilige schriftlich versicherte Toleranz auf einige bestimmte Jahre seyn sollte, nur so lange an diese Decrete gebunden, bis eine allgemeine Synode endlich entscheide. *) Permittentes, heißt es in Eugens Bulle, & indulgentes, quod omnes & singuli qui præfata decreta receperunt — illis — libere & licite uti possint, — donec per legatum hujusmodi, ut prædictum est, concordatum fuerit, vel per Concilium — aliter ordinatum. s. Concord. nat. germ. integ. pag. 130. 131.

Clar. Spittleri.

Doch

(a) Im Göttingisch-historischen Magazin 1. B. 2. St. n. 13. et 3. St. nro. 4.

Doch was der Legat Cardinal Johann zu Aschaffenburg schloß, trägt selbst in der Urkunde den Namen eines Concordats, sein Concordat schloß sich bloß mit der allgemeinen Bestätigung der Verwilligung Eugens, so schloß es sich also auch mit der zwar nur stillschweigenden aber doch klaren Voraussezung, daß die Acceptation der Basler Decrete nun ein Ende habe, weil endlich einmal concordirt worden sey, daß der Pabst ihre längere Fortdauer nicht anerkenne, weil er sie nie auf längere Zeit anerkannt habe, als bis sein Legat Concordate geschlossen haben würde.

Die Basler Decrete sind also kein Theil unsers Vertrages mit dem Pabst, wenn das bloß, was beide Theile sich wechselweis zusagten, zu einen vollgültigen Vertrage gehört, sie sind nicht der Fundamental-Vergleich, dem der Aschaffenburger Aufsaz bloß Einschränkungen und Modification gab, denn mit Vollendung des Aschaffenburger Aufsatzes hatte unser vom Pabst anerkannte Acceptation der Basler Decrete ein Ende, sie sind leider für jeden, der den Aschaffenburger Aufsatze beytrat, durch diesen Beytritt historisch publicistische Antiquität geworden, und es kann ihnen keine ewige fortdaurende Vertrags-Gültigkeit geben, daß im Aschaffenburger Aufsatze die wichtigsten Materien nicht berührt wurden, für deren treffliche Reformation in den Basler Decreten gesorgt war. Denn warum widerholte man nicht jene Basler Decrete, deren Wirksamkeit Eugen einzig nur für einen gewissen eingeschränkten, nun verflossenen Zeitpunkt eingeräumt hatte, und an deren Stelle nun keine neue Bestimmungen kamen? His itaque clar. Spittlero dissuaderi potuit ulterior decretorum basileensium valor.

§. 3.

Anonymi cujusdam.

Porro eodem sensu, sub diversa tamen ratione decreta prædicta enervare conatur quidam Anonymus Auctor Febronii abbreviati cum notis, dum in præfatione ad compendium Febronii abbreviati Augustæ anno 1789. editum pag. XII. sequentem in modum se exprimit: „ Illud concordatum Aschaffenbur-

„ gen-

„ genſe, uti vocatur, defacto jam abolitum eſſe, nemo non vi„ det, quando novum atque hactenus ignotum ſyſtema nobis „ obtruditur, atque concordatum Principum ſeu inſtrumentum „ acceptationis Decretorum baſileenſium veris concordatis aſchaf„ fenburgenſibus ſubſtituitur, illud pro regula, hæc pro excep„ tione ſolum valere prætenduntur. -- Deinde hæc ipſa decreta Aſchaffenburgi fuiſſe peremta etiam gloriatur, ac tandem concludit: „ Profecto ſi inſtrumentum acceptationis pro vero „ concordato habendum eſt, quod utrinque paciſcentes adhuc „ obligat: ſi Decreta baſileenſia adhuc omnem ſuam firmitatem „ & valorem habent, qui fieri potuit, ut horum memoria a „ ſæculo XV. penitus evanuerit: ad ea nunquam, econtra ad „ concordatum aſchaffenburgenſe centies fuerit provocatum? „ Si valent illa Decreta baſileenſia, atque Germanos vi pacti „ adhuc obligant, cur ea Germani circa electiones Antiſtitum, „ circa Synodos diœceſanas, Provinciales, Regularium Ordinum „ Capitula, & in multis aliis non ſervant, aut ſervari ſinunt, „ & prætenſum hoc concordatum pro libitu palam transgre„ diuntur? Hac ipſa praxi mens compaciſcentium, Nationis „ germanicæ præprimis, luculenter demonſtratur, atque dum „ inſtrumentum acceptationis ſeu decreta baſileenſia, contrani„ tente etiam altera parte compaciſcentium Rom. Pontifice, „ pro veris concordatis ſubſtitui, conſilium & opera impendi„ tur, per hoc fidei & honori Nationis haud parum detrahi„ tur. „ Ita ſibi placet Anonymus. Verum quanta hæc ſint, quantumque a genuina decretorum baſileenſium notione diſtent, demonſtratum ibimus 1mo, ex ipſis Bullis Eugenianis: 2do, ex mente ac intentione Paciſcentium aſchaffenburgenſium: 3tio, ex actis & geſtis ibidem: ac tandem 4to, ex diſſolutione oppoſitorum, cui in ſequenti Capitulo ſatisfiet.

§. 4.

Examinare itaque inprimis juvat Bullam Eugenii IV. *ad tranquillitatem*: cujus excerpta ad rem pertinentia cap. præced. §. 13. dedimus. Dicit ibidem Eugenius ſe Legatum ſuum cum ſufficienti poteſtate ad partes Germaniæ hujusmodi transmiſſurum, & quidem ex duplici cauſſa: ſcil. 1mo, quia *nonnulli*

Explicatur Bull Eugenii quoad præſtandam re-

compen- *li Prælati nationis præfatæ ex eisdem decretis gravatos se fore con-*
fationem. *questi sunt:* 2do, *quia in illis apostolicæ Sedi, quæ multum in suis juribus ex ipsis Decretis gravata dignoscitur, recompensatio promissa fuit*, adeoque *pro sublevamine nonnullorum Prælatorum, & pro recompensatione Sedis apostolicæ* obtinenda: quocirca super observantia & modificatione decretorum hujusmodi & super provisione Sedis prædictæ tractandum & finaliter concordandum foret. Jam vero si decreta basileensia tantum in favorem *quorundam Prælatorum* gravatorum præsente Legato pontificio modificanda, ac temperanda fuerunt, si tantum de unius vel alterius præjudicio, ac gravamine tollendo in futura tractatione agendum, & via quadam media componendum fuerat, quid hoc obstet concordatis totius Nationis, quodque tali modo juribus ac favoribus reliquarum Ecclesiarum germanicarum jamdum quæsitis quidquam derogandum, detrahendumve fuerit, plane non capio, eo minus, quo magis favor, ac levamen quorundam Prælatorum non per abrogationem, sed potius per temperatam observantiam & modificationem Decretorum basileensium procuratum iri tunc aperte existimabatur. Vel an tota & integra Natio de solennissimis Pactis suis periclitari potuit, ut *nonnulli Prælati* particularia quædam emolumenta eo securius consequerentur. Certe eaipsa stipulata *recompensatio* Sedi pontificiæ præstanda nil minus, quam abolitionem priorum concordatorum requirebat, cum mox post acceptationem Decretorum maguntinam anno 1439. tam Sedi apostolicæ, quam nonnullis Prælatis per sublatas annatas pariter gravatis facta fuerit provisio, nempe de *quarta parte antique taxe ab olim Camere apostolice solvi solite* æquis partibus inter illos dividenda teste Würdtweinio (b), & quidem *salvis & illæsis Decretorum basileensium articulis.* Immo ex hac eadem indemnisatione romana in futuro conventu cum Legato pontificio determinanda utique manifestum redditur, jura nuper adquisita, de quorum jactura Pontifex conquerebatur, penes Nationem salva & integra remanere debere. Secus enim quo titulo petita recompensa fundari potuisset, non video: nam vel obtinuit Sedes pontificia per suum Legatum compensationem, vel non? si prius? ergo eoipso relinquenda sunt Nationi præfata

(b) Subsid. diplom. tom. VIII. pag. 74.

ſata decreta. Si poſterius? tamen ſtabunt concordata; & recompenſatio hodiedum debebitur. Id quod nemo ſanus dixerit. Ergo ſi ſub quocunque reſpectu promiſſam legationem Eugenii Papæ conſideraveris, nunquam finem decretorum baſileenſium eidem adfixum fuiſſe, fatearis neceſſe eſt.

§. 5.

Quoad verba: *donec per Legatum* &c.

Attamen dubium tibi relinquunt illa verba Bullæ prælaudatæ: *Permittentes* INTERIM *& indulgentes, quod omnes & ſinguli -- illis decretis -- libere & licite uti poſſint, -- --* DONEC PER LEGATUM HUIUSMODI, *ut prædictum eſt*, CONCORDATUM FUERIT. Hinc putas decreta illa fuiſſe tantum interimiſtica, usque ad concordatum cum Legato ineundum; neutiquam vero perpetua. Aſt velim animadvertas hoc concordatum non eſſe terminum, *ad quem* expirent baſileenſia decreta, ſed eſſe terminum, *ad quem* tum gravamina nonnullorum Prælatorum, tum proviſio Sedis apoſtolicæ componantur. Non enim fruſtra adponitur: *ut prædictum eſt.* Quid ergo prædictum? an quod concordata ante aliquot menſes ſolenniter inita tunc ſint abroganda? an quod Eugenius etiam præter pinguem recompenſationem jura Nationi juxta decreta baſileenſia ceſſa & renunciata iterum recuperare debeat? an quod nova, a prioribus diverſa, cum tota Natione erigenda ſint Pacta? neutiquam. Sed prædictum, ut nonnullis Prælatis remedium ferretur, ut tractetur, *cum quibus opus fuerit*, ut redhoſtimentum Sedi pontificiæ præſtaretur: quoadusque, & *interim*, libere & licite uti poſſent, inſuperhabito nempe, tam quod nonnulli Prælati eſſent gravati, quam quod Sedes pontificia in ſuis juribus multum læſa promiſſam recompenſationem adhuc expectare deberet. Quæ cum omnino ampliſſima ex ſingulari, ut quidam gloriantur, quadam Nationis generoſitate fuerit reddita, ſicque finaliter concordatum, atque conditio ex omni parte purificata, quid aliud colliges, quam exinde Decreta reliqua baſileenſia potius novum robur, novumque valorem adquiſiiſſe, quam diſpendium, jacturamve paſſa fuiſſe. Cum itaque ex mente Eugenii IV. Rom. Pont. futura Legatio nullam mutationem, aut abrogationem prædictorum decretorum præſeferre potuit, qua ratione terminum

 finem-

finemque illis ad tempus futuri concordati fuisse positum, deinceps asseverare æquus rerum arbiter valebit?

§. 6.

Quoad verba: *vel per concilium aliter ordinatum fuerit.*

Sane quisnam modus, quisnam terminus Decretis basileensibus abrogandis, tollendisque sit conveniens, ipsemet Eugenius IV. sat luculenter explicat, dum in præsata Bulla mox subjungit: VEL PER CONCILIUM, *quod ad prædictorum Regis, Prælatorum, & Principum exhortationem convocare proponimus*, ALITER FUERIT ORDINATUM. Postquam enim in specie gravaminibus *nonnullorum* Prælatorum, ac *Sedis apostolicæ* consulendum duxerat per subsequens Legati sui concordatum, *ut prædictum est*, mox in genere etiam de mutandis, annullandisque prædictis decretis tempus assignat, nempe, *donec per concilium* -- ALITER *fuerit ordinatum*: quodipsum sese expectare aperte innuit adjectis verbis: *non contraventuri, nec contravenientibus consensuri quovis modo*; scilicet: prout modo sunt permissa, concessa & confirmata, usque dum futuro tempore, in concilio convocando, *aliter ordinatum fuerit.* - *το* ALITER multum ponderis habere ipsemet clar. Spittlerus (c) notat contra celeberr. Horixium, quem hanc voculam in sua ad clausulam aschaffenburgensem observatione (d) præpostero loco collocasse incusat, dum illam futuro concordato, *donec per Legatum* ALITER *concordatum fuerit*, adposuit. Jam si *το aliter* ad futurum concilium, prout ipsa Bulla exhibet, & D. Spittlerus merito requirit, pertinet, manifesto signo est, aliam ordinationem decretorum primario reservari concilio generali, eoquod juxta citatam Bullam cum Legato concordandum tantum dicatur, *ut prædictum est*, & non *aliter*. Hinc jam eo certius adparet, terminum mutandorum, tollendorum & irritandorum Decretorum, & quidem primarium fuisse concilium, contra ac prælaudatus Spittlerus sentit. Quorsum etiam respexisse Eugenium, dum Patrocinium Regis, Archiepiscopi, ac Principum pro salvandis juribus pontificiis *medio tempore* singulari fiducia implorat,

(c) In der Geschichte der Fundamentalgesetze Histor. Magazin. I. B. Seite 376.

(d) Concord. Nat. integ. tom. I. pag. 160.

rat; *speramus autem, & a certo tenemus, dictos Regem, Archiepiscopum, Marchionem & alios Principes & Prælatos tanquam devotos ipsius Sedis non passuros*, MEDIO TEMPORE *Romanam Ecclesiam remanere in suis juribus spoliatam*: omnino indubium videtur, eoquod promissa recompensatio in futuro concordato quidem speranda, integra tamen, & pristina jura pontificia nonnisi antiquatis Decretis basileensibus redintegranda existimaret, *donec per concilium* -- ALITER *ordinatum fuerit*. Et sane Eugenius sub illo MEDIO TEMPORE non illud inter Bullam & Concordatum, sed potius illud, quod usque ad futurum concilium excurreret, eo certius intellexerat, quo apertius illius mentem colligere est ex verbis finalibus concordati aschaffenburgensis, quibus summi Paciscentes expresse fatentur, quædam *per Eugenium IV. pro natione præfata* USQUE AD TEMPUS FUTURI CONCILII *permissa, concessa, indulta, atque decreta*. Ergo non ad tempus futuri concordati simpliciter. Aut quo modo *hi duo termini* combinandi, & simul stare poterunt, nisi diversa illorum, uti hactenus explicatum, objecta admiseris? Quantum vero laudatum Spittlerum premant verba prædicta: *usque ad tempus futuri Concilii*: ex sequenti capite patebit. Quid? quod illis temporibus concilium generale singulis decenniis instituendum tanquam communis sive finiendorum sive ineundorum concordatorum terminus placuerit? Sic in concordato Aschaffenburgensi summi Paciscentes tam circa alternativam mensium, quam circa modum Annatarum servandum ad futurum Concilium provocant: *nisi in futuro concilio de consensu Nationis* ALITER *fuerit ordinatum*: item: *curratque hæc observantia deinceps, nisi eam* SIMILITER *in futuro Concilio de consensu nationis immutari contingat*. Constat etiam Nationem germanicam omnem suam fiduciam collocasse in concilia generalia, tam cum in Constantiensi quinquennalia concordata erecta, quam dum Decreta Basileensia fuere acceptata, ac tandem solenni pacto etiam corroborata. — Quemadmodum ergo vi concordati Aschaffenburgensis tam alternativa mensium, quam modus Annatarum in recompensationem Romani Pontificis usque ad futurum Concilium currere debet, *nisi in futuro Concilio de consensu Nationis* ALITER *fuerit ordinatum*; Sic etiam vigore Bullæ Eugenianæ valorem Decretorum Basileensium in favorem Nationis germanicæ tamdiu stare necesse est, *donec per Concilium* — —

ALITER *ordinatum fuerit.* Quare jam nullum amplius dubium supereſſe exiſtimo, per Concordatum Legati pontificii ex aperta Eugenii mente ac declaratione neutiquam fuiſſe peremta Decreta Baſileenſia: ſed illa, quae in prædicto Concordato ab hisce decretis diſcrepant, non aliam, quam recompenſationis rationem habere: reliqua vero omnino in ſuo vigore, quem ex Concordatis Francofurtanis adquiſierunt, intacta relinqui.

§. 7.

Intentio Nicolai V. Compaciſcentis.

Quæ de Bulla Eugeniana, deque genuino illius ſenſu hactenus fuerunt prolata, inſignem certe ex auctoritate Nicolai V. immediati Eugenii IV. Succeſſoris capiunt firmitatem ac valorem: quippe quo nemo melius Mentem ac Intentionem Eugenii ſcire poterat, cujus mandatum in Conventu Francofurtano ad reconciliandos germanorum animos perficiendum nuper geſſerat; Hic, poſtquam Theodorico Archiepiſcopo Maguntino, ſingulari in negotio Concordatorum Fautori, ſuam ad ſummum Pontificatum adſumtionem ſub die XII. Cal. April. 1447. annuntiaverat, mox alias literas ſubmiſit ddo V. Cal. ejusdem menſis & anni, quibus & mentem ſui Anteceſſoris in præmiſſis pertractationibus inſigniter illuſtrat, atque ſuam circa futurum Legati pontificii ad Germaniæ partes mittendi negotium intentionem ſincere explicat; quare illas integras ex Gudeno (e) in rem Concordatorum duxi recitandas.

„ Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Venerabili „ Fratri Theoderico Archiepiſcopo Maguntino ſalutem & Apo„ ſtolicam Benedictionem.

„ *Concordatum fuit, ut noſti*, per Chariſſimi in Xpo Filii „ noſtri Friderici, Romanorum Regis illuſtris, nec non tuos, & „ alios pleroſque Oratores nationis Germanice, cum felicis re„ cordat. Eugenio Papa Quarto predeceſſore noſtro *ſuper multis,* „ *bonum ſtatum & commodum eiusdem nationis concernentibus*, inter „ alia vero mentio fuit habita *de mittendo ad partes illas Legato,* „ *ſuper pluribus in natione ipſa diſponendis.* Nos igitur, qui divi-

„ na

(e) Cod. diplom. Tom. IV. pag. 304.

„ na disponente clementia eidem Eugenio vita functo successimus, „ *volentes nationi vestre*, quantum cum Deo possumus, *complacere*, „ *& ab illo concessa & ordinata manutenere & adimplere*, Dilectum „ filium nostrum Johannem, titulo S. Angeli diaconum Cardinalem, Legatum nostrum de Latere, tanquam pacis angelum *pro* „ *tua*, *& aliorum Prelatorum & Principum illarum partium consolatione*, *& pro felici directione & conclusione rerum ejusdem nationis*, duximus destinandum. Ob quam rem opus erit, quod „ tua fraternitas per latorem presentium litteras salvi conductus „ tui, in personam dicti Cardinalis Legati quantocius ad nostram „ curiam transmittat; suffraganeisque suis, & subditis quibuslibet mandet, ut Legatum ipsum, in veniendo ad partes ipsas, „ in stando & redeundo debite honorent, humaniter tractent, & „ reverenter suscipiant, videant, & teneant. Nos autem fraternitati tue per nuntium istum alias litteras nostras dirigimus, „ *per quas mentem nostram circa concessa & ordinata per dictum antecessorem nostrum plenius poteris intelligere.* Velit ergo tua fraternitas hujus sancte Sedis, sicut confidimus, honorem & jura benigno favore complecti, quod apud nos sine premio, & „ apud Deum sine magna retributione non transibit. Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice MCCCCXLVII. „ quinto Kal. Aprilis. Pontificatus nostri anno primo.

R. Bourdonis.

Ex his itaque observare juvat 1mo, ante concordiam aschaffenburgensem jam vera pacta & concordata obtinuisse inter Eugenium IV. & Nationem germanicam, juxta cap. praeced, §. 14: & quidem *super multis bonum statum & commodum ejusdem Nationis concernentibus*: inter quae Decreta basileensia pertinuisse eo minus dubio obnoxium, quo magis ex illorum acceptatione *bonum statum*, *& commodum Nationis* promotum fuisse constat. 2do, stantibus, & illaesis hisce concordatis Legatum ad partes Germaniae destinatum iri *super pluribus in natione ipsa disponendis*, non vero pro dissolvendis iis, quae prius cum suo Antecessore concordata fuerunt. 3tio, Nicolaum V. omnia ab Eugenio concessa & ordinata interposita sua fide & auctoritate confirmasse. 4to, Legatum pontificium non alio mandato fuisse instructum, quam *pro Archiepiscopi*, *& aliorum Praelatorum & Principum illarum partium consolatione*, *& pro felici*

lici directione & conclusione rerum ejusdem nationis; quocirca promissa recompensatio adhuc deficiebat. Jam si Nicolaus V. Nationi germanicæ *complacere volens* ab Eugenio concessa & ordinata manutenere & adimplere paratum se dicit, quo modo de imminuendis, aut tollendis decretis basileensibus vel cogitare potuit? Illum autem Nationi nonnisi verba dedisse absque piaculo haut dixeris, cum illis temporibus germanicæ Nationis favorem sibi conciliare, pacta brevi antea inita servare, juraque illius omni modo manutenere certe plurimum ejus interfuerit. -- Quod vero in fine de aliis litteris mentionem faciat, per quas mentem suam circa concessa & ordinata per dictum Antecessorem suum plenius intelligere poterit Archiepiscopus Maguntinus, sinistram suspicionem eo minus movere poterit, quo apertius prædictus Pontifex in concordatis aschaffenburgensibus summus compaciscens declarat, Eugenium pro Natione germanica quædam concessisse, ac permisisse *usque ad tempus futuri concilii generalis:* quamvis prætactas litteras speciales in tanto illustrandorum concordatorum studio orbis literarius nondum obtinere potuerit. Hinc manet, concordatum Legati neque ex mente Eugenii IV. neque ex declaratione Nicolai V. terminum fuisse, quo decreta basileensia tantis laboribus, sumtibus, ac ingenti studio in vim concordatorum evecta, valorem & obligationem amisissent, atque uno quasi ictu peremta fuissent.

§. 8.

Acta aschaffenburgensia.

Quid vero Acta aschaffenburgensia? si Instrumentum Concordati aschaffenburgensis ex utraque Paciscentium parte subsignatum consulueris, illico adparebit, Decreta basileensia potius fuisse confirmata, quam sublata, in quantum novæ concordiæ non obviant. Id quod in sequenti capite dilucidandum venit. Si vero prævios tractatus, ac disceptationes in congressu aschaffenburgensi de retinendis vel dimittendis Decretis audire libeat, referentem Æneam Sylvium in apologetico ad Martinum Meyr, Cancellarium Maguntinum percipiamus. „ Disceptatum est, inquit, quonam pacto Pontifici Nicolao parendum esset. Erant: „ qui Decreta *basileensis* concilii *omnia* suscipienda contenderent, „ *illisque salvis* Papæ obediendum. Contra Legatus apostolicus

„ ejus

„ ejus concilii legibus, quod Romana Sedes refutasset, nullam „ inesse vim, ajebat: alii, quibus *media sententia* placebat, ve„ rum Basileæ concilium *aliquando* fuisse affirmabant, *ejusque* „ *temporis* constitutiones haudquaquam rejiciendas esse, puta„ bant. Postremo eo modo *concordiae* locus fuit, ut sententia „ *quorundam* Decretorum basileensis concilii reciperetur, reliqua „ vero ejus statuta rejecta viderentur. „ Ad hæc verba clar. Nellerus (f) egregie observat: „ Satis autem attenuat Æneas rem „ per *το quorundam*, *cum plurima* remanserint Germanis salva, „ *pauciora* vero immutarentur per concordata: debuisset igitur „ ille converso stilo sic scribere: ut *sententia quorundam Decre*„ *torum dimitteretur*; cæterorum vero, queis nulla contigit *ex*„ *pressa variatio*, retineretur: male quippe poneretur, *omnia* „ *rejecta fuisse tacite*, *quæ non fuerunt expresse in concordatis ad*„ *optata*. Et sane si instrumentum pacti inspiciamus, plura videntur confirmata, & pauciora modificata: *in aliis autem* &c. &c. *in quantum concordiæ præsenti non obviant*, *ista vice nihil extitit immutatum*: quæ verba certe latiorem adprobatorum regulam constituunt. Ceterum siquidem hanc Æneæ Sylvii relationem penitius consideremus, mirari haud abs re quis poterit, cur post solennia illa ex parte Nationis, & ex parte Romani Pontificis confirmata concordata circa decreta basileensia adeo disceptatum fuerit? Certe tam Eugenius IV. quam Nicolaus V., prout ex deductis adparet, in hoc conventu tantum *recompensationem promissam* propter jurium pontificiorum jacturam obtinere intenderunt. Quibus ergo auctoribus? quibus artibus? quo fine? hæc controversia fuerit excitata, tum Bulla Eugeniana, tum literæ Nicolai V. supra recitatæ varias conjecturas, non inanes, movere poterunt. (g) Ast sufficit, in id tandem fuisse conventum, ut *sententia quorundam Decretorum Basileensis Concilii reciperetur*. Quoipso colligitur, illud concordatum aschaffenburgense neutiquam finem fecisse decretorum basileensium valori: neque eo tempore fuisse auditum, quod prædicta decreta eousque tantum perdurent, *donec per Legatum concordatum fuerit*. Illa ipsa autem, quæ per Æneam Sylvium dicuntur rejecta de-

(f) Differt. de certis concil. basil. Decretis c. 1. §. 14.
(g) Vid. Mohl über die Frage: In wie fern die Basler Decrete heut zu Tage noch gültig seyen? Frkf. 1788. Seite 137.

decreta, largissimam recompensationem Sedis pontificiæ ad normam concordati quinquennalis constantiensis, adjectis quibusdam, uti notat Spittlerus loc. cit. S, 477. mutationibus, usque ad tempus futuri concilii subministrant.

§. 9.

Quæ prioribus tacite derogare nequeunt

Ad hæc optime monet prælaudatus Nellerus: *male quidem poneretur, omnia rejecta fuisse tacite; quæ non fuerunt expresse in concordatis adoptata.* Quamvis enim tralatitium sit, prout ex Quintil. declam. 308. advertit Consult. Hertius (h) *sicut leges posteriores, & pacta novissima derogare prioribus*, tamen hæc regula exceptionem patitur, quando legi seu pacto præcedenti clausula posteriorum derogatoria sit adposita: quod ita deducit cit. Hertius „ Quodsi in priore constitutione nominatim ad„ jectum sit; ne per faturam lex abrogetur - - id est confuse aut „ generaliter, commistis rebus plurimis, sed ut specialiter, explica„ te, diserte abrogetur; non est dubitandum, & hoc casu prio„ rem legem valere posteriore lege non diserte abrogatam: „ quoniam legis conditor frustra alioquin eam clausulam ad„ jecisset. Quam in rem præsertim etiam facit *cap.* I. *de const. in VI.* ubi Bonifacius VIII. declarat, locorum & personarum consuetudinibus & statutis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) in aliquo non derogari. Jam autem sæpius allegata Bulla Eugeniana: *ad tranquillitatem*: non solum adnexam habet clausulam decreti irritantis, & posteriorum derogatoriam sed insuper confirmat, decretis basileensibus tamdiu licite & libere omnes & singulos uti posse, *donec per concilium* ALITER *ordinatum fuerit.* Inde prono alveo fluit, omnia illa decreta basileensia, quæ ALITER in congressu aschaffenburgensi cum consensu Nationis expresso ordinata non fuerunt, adhuc plenum vigorem habere: neque tacitam, sed solum disertis verbis conceptam derogationem illis nocere. Quodsi Lex vel Pactum posterius priori, prædictis clausulis munito nil detrahit, non video, qua ratione laudatus Spittlerus expressam mentionem, & repetitionem Decretorum non abrogatorum in posteriori Instru-

(h) Dissert. de lege clausula, ne abrogari unquam possit, munita inter opp. Vol. I. tom. III. pag. 3.

ſtrumento requirat: cum nequidem ſæpius allegata Bulla Eugeniana enumeret, ſed in genere nominet baſileenſia Decreta. vid. Mohl loc. cit. §. 68.

§. 10.

Aſt opponis: quamvis Eugenius IV. & Nicolaus V. in futuro concordato nil aliud, quam recompenſationem jurium amiſſorum expectaverint, tamen ex ipſo concordato conſtat, longe alia fuiſſe acta Decretis baſileenſibus e diametro oppoſita, Nationi germanicæ omnino odioſa, & valde præjudicioſa. Verum modo non quæritur, quid ſit actum in prædicto concordato? quod in ſequenti capite examinabitur: ſed an Romanus Pontifex tantum usque ad tempus hujus concordati hisce Decretis obligari voluerit; adeoque an hoc concordatum præciſe ſit terminus illorum Decretorum peremtorius? Id quod negandum eſſe tum ex claris Bullæ Eugenianæ verbis, tum ex literis Nicolai V. §§. 4. 5. 6. 7. atque ex ipſis etiam actis §. 8. & 9. hactenus luculenter, ut puto, probatum dedimus. Quod reliquas objectiones ſupra §. 2. & 3. occurrentes concernit, poſt clauſulæ noſtræ explicationem eas, quo facilius diſſolvantur, differre magis conſultum videtur. Multo minus abrogant.

CAPUT V.

SED APERTE CONFIRMATA PER CLAUSULAM: *IN ALIIS AUTEM* &c.

§. 1.

Nunc præparata ſunt omnia, quæ ad intelligendum præſtantiſſimæ clauſulæ aſchaffenburgenſis ſenſum omnino neceſſaria exiſtimavimus. Poſtquam enim in congreſſu aſchaffenburgenſi inter ſummos Paciſcentes circa proviſionem Sedis apoſtolicæ ordinandam, atque modum Annatarum ſolvendarum ſervandum fuit conventum, ac inſuper etiam ſplendidiſſima jura quoad reſervationes extravagantium, confirmationes electionum, & alternativam menſium, plurimorum, ut inſtrumentum Pacti Clauſula aſchaffenburgenſis.

refert, sacri Romani Imperii Electorum, aliorumque ejusdem Nationis, tam ecclesiasticorum, quam secularium Principum consensibus accedentibus, romano Pontifici, præter omnem forte expectationem, fuerunt concessa atque indulta, tandem ad finem concordati adponere placuit solennem clausulam in hunc modum:

In aliis autem, quæ per felicis recordationis Dominum Eugenium Papam quartum, pro natione præfata, usque ad tempus futuri generalis Concilii permissa, concessa, indulta, atque decreta, et per memoratum Sanctissimum Dominum nosrum Papam Nicolaum confirmata fuere, in quantum illa Concordiæ præsenti non obviant, ista vice nihil extitit immutatum.

§. 2.

Hujus diversæ interpretationes: clar. Barthelii.

Quamvis hæc verba tam aperta, & perspicua primo mox intuitu adpareant, ut nulli dubio obnoxia esse videantur, tamen diversas, contortas quidem, præposteras, ac menti Paciscentium plane difformes interpretationes apud varios Auctores, quorum negotium circa decreta basileensia imminuenda, vel omnino expungenda versatur, legere est. Primus, quod scio, hanc clausulam, tanquam passum memoratu inprimis dignum recensuit Celeberr. Barthelius, concordatorum Restaurator præclarissimus (i), qui, postquam prædictam clausulam ita laudavit: „Clarissime hisce verbis indigitantur, novoque velut ro„bore firmantur puncta illa concordatis præambula, quæ a „natione proposita, & ab Eugenio IV. acceptata, appromissa, „concessa, & indulta fuerunt: „post pauca quædam tamen addere potuit: „Hæc inter concessa & appromissa equidem non„nulla erant, quæ mox omnem suum effectum consecuta, hodie „nullum amplius effectum juridicum habent, mereque ad illu„strationem hujus materiæ subserviunt. Qualia sunt I. quod „Decreta basileensia per Albertum II. Romanorum Regem in „Germania introducta suo in vigore permanere debeant, us„que dum vel cum Legato pontificio aliter concordatum, vel „in

(i) Differt. tert. de Concord. c. 1. n. 13. & seqq.

„ in futuro concilio aliter ordinatum fuerit. -- Deinde huc refert Bullam Eugenii IV. *Inter cetera desideria*: pro tempore Neutralitatis editam: ac illam pro restituendis Archiepiscopis trevirensi & coloniensi datam, ac tandem duos articulos, scil. de frequentiori celebratione, auctoritate, honore & eminentia conciliorum generalium, fusius deducit, *qui revera*, ut loquitur, *considerationem merentur & notabiles adhucdum hodie effectus juris producere possunt, & de quibus maxime supra adducta concordatorum verba sunt intelligenda.* Ast cum horum duorum articulorum valor ea tantum fundari possit ratione, quod in aschaffenburgensi concordato nihil desuper fuerit immutatum, palam est, eandem quoque rationem pro reliquis etiam Decretis stare in tantum, in quantum nulla facta fuit mutatio: secus certe clar. Barthelii verba male cohærere nemonon videbit: quippe quem censura Spittleriana circa τo *aliter* interpolatum pariter cum Illustri Domino Horixio stringit (cap. præced. §. 6.). In eandem explicationem clar. Nellerus (k) etiam animadvertit: *Non enim super omnibus illis decretis aliter concordatum, aliterve ordinatum extitit; quare nec debent illa simpliciter iis concessis, & apromissis, quæ hodie cessant, connumerari.*

§. 8.

Porro prælaudatus Spittlerus (l) hanc clausulam, suæ præter omnium expectationem adoptatæ hypothesi parum propitiam expertus, incuriam vel fraudem Amanuensis incusare, atque quædam verba: scil. *usque ad tempus futuri generalis Concilii*: detruncare, exemplo nondum audito, haut veretur. Multa, quæ facit, verba illius sunt: Wie wir getäuscht wurden, oder wie ungeschickt der Concipiste des aschaffenburger Aufsatzes zu concipiren wußte! alles ward durch den aschaffenburger Aufsatz bestätigt, was Eugen IV. ehedem bis zur nächsten Synode verwilliget hatte, wenn es anders nicht zu Aschaffenburg selbst ausdrücklich abgeändert sey. Nichts hatte aber Eugen geradhin bis zur nächsten grossen Synode verwilligt. Was er verwilligte, verwilligte er nur so lang, bis entweder sein Legat Concordate geschlossen, oder bis zur nächsten grossen Synode. Wenn also, Celeb. Spittleri.

I 2 was

(k) Differt. cit. c. 1. §. 16.
(l) Histor. Magazin. 1. B. 2. St. Seite 375.

was zu Aschaffenburg geschah, der Legat die bezeichnete Concordate schloß, so war wenigstens in dieser Beziehung das weitere Synodal-Warten überflüßig, und wenn man die hiehergehörige Stelle des Aschaffenburger Aufsatzes mit den Bullen Eugens vergleicht, so ist unbegreiflich, was hier der Concipiste des aschaffenburger Aufsatzes mit seinem usque ad tempus futuri generalis Concilii wollte, wenn es ihm anders nicht fast unwillkührlich hier zur Feder floß, weil er ein paar vorhergehende Stellen seines Aufsatzes immer mit der Erwartung des futuri Concilii zu schliessen hatte. *)

*) Es entstund durch Einrückung der Worte usque ad tempus futuri generalis Concilii, wie sie in den Satz quæ per Eugenium Papam - permissa concessa indulta atque decreta sich einschlichen, eine scheinbare grosse Disharmonie zwischen den referens, und den relatum. In den Bullen Eugens war nichts geradehin bis auf nächste grosse Synode verwilligt, und diese Worte beziehen sich doch einzig auf jene Bullen Eugens.

Verum si clar. Professor Göttingensis cogitasset 1mo, hæc verba: *usque ad tempus futuri generalis Concilii* exactissime convenire cum Bulla Eugeniana juxta superius explicata *cap. anteced.* §§. 4. 5. *&* 6. 2do, eadem in hocipso concordato cum Legato pontificio inito, quod sibi decretorum basileens. peremtorium imaginatur, fuisse expressa & repetita: atque hisipsis 3tio, terminum ultra tempus præsentis concordati, & usque ad futurum concilium generale evidenter prorogari: eaque 4to, per ipsum Amanuensem, prout egregie Seite 480. observavit, *Romanum* fuisse adposita: & denique 5to, in clausulis conventionalibus, quando de summo jurium apice agitur, nullum verbum frustraneum censendum *juxta cap.* 1. §. 8. *Principium I.* nullus dubito quin hæc omnia iterum expunxisset. Et sane per antecedentes formulas: *usque ad tempus futuri Concilii*: Amanuensem fuisse turbatum; prout D. Spittlero placet, prorsus ficulneum videtur. Unde hæc tota explicatio nonnisi pro re sua facta censeri poterit.

§. 4.

§. 4.

Præterea omnino dictatoria sunt ea, quæ in hanc clausulam scribit supra allegatus Anonymus Febronii abbreviati in præfatione pag. XIII. „ Siquidem in concordatis aschaffenburgensibus terminus non fuit prorogatus; econtra clausula apponitur: *in aliis autem*, per Eugenium IV. permissis & concessis, *in quantum illa concordiæ præsenti non obviant, ista vice nihil extitit immutatum.* Si nihil immutatum; igitur illa permissa & concessa ultra non valebant, quæ ab initio permissa & concessa fuerunt, scilicet usque ad tempus, quo cum Legato aschaffenburgi concordatum fuit. Quare satis mirari non possum, qua fronte adversarii hanc clausulam suam in crambem vertere, atque interpretari ausi sint?„ Ast parcius ista viris! neque enim ad crambem serviunt, sed ad jura Nationis & Ecclesiarum germanicarum verasque libertates defendendas præclare faciunt verba hæc finalia; quin irreverentiam, aut imminutionem aliquam jurium Primatialium Romano Pontifici competentium, quam labem Concordatorum Patronis imputari sæpius in Anonymi opere observatur v. g. tomo III. pag. 144. quamque a me remotissimam publice profiteor, nec a longe involvant. Qualis quæso! hæc sequela! *Si nihil immutatum; igitur illa permissa & concessa non ultra valebant &c.* annon idipsum, quod non est immutatum, tamdiu stare debet, usque dum mutetur? quare Anonymus reticet illam particulam: *ista vice*? quodsi ergo *hac vice* nihil mutatum: utique ad *aliam vicem* eoipso reservatur mutatio. Si hoc? ergo debet aliquid superesse, quod mutetur. Non-entia enim mutationem ægre recipiunt. Ut quid ergo paciscentes mentionem fecerunt de concessis per Eugenium, & confirmatis per Nicolaum V. siquidem jam per ipsum concordatum, ut somniat Anonymus, extincta fuerunt: ut quid ergo ad aliam vicem differtur immutatio? Sibi ergo habeat insipidam hanc crambem Anonymus. Anonymi cujusdam.

§. 5.

His missis genuinum, actis & literæ Concordatorum adprime conformem sensum audiamus ex consult. Nellero (m). Clar. Nelleri.

„ Quod

(m) Dissert. cit. c. 1. §. 14.

„ Quod igitur circa Decreta *basileensia*, prout ipsa sub Alberto
„ II. Rege acceptata fuerunt a Germanis, anno 1448. *aliter con-*
„ *cordatum fuit*, hoc servatur *juxta concordata*: quod vero ali-
„ ter concordatum non fuit, hoc manet, sicut ibi, donec in fu-
„ turo concilio aliter ordinabitur: & sic implentur verba Bullæ
„ Eugenianæ: *libere & licite uti possint, donec concordatum*
„ *fuerit, vel per concilium aliter fuerit ordinatum*; duo quippe
„ erant solummodo, quæ derogare Decretis receptis potuissent,
„ *concordata & concilium*; quibus ergo nec concilium nec con-
„ cordata derogarunt, quid obstabit, quo minus hodieque illa
„ persistant, juxta illud: *quod non mutatur, cur stare prohi-*
„ *beatur*?

Ut vero maxima hujus clausulæ momenta ante omnium oculos, mentesque ponamus, singula verba per speciales quæstiones examinari atque juxta regulas interpretandi primo capite præfixas dilucidari omnino præstabit. Sit ergo

§. 6.

Q. I. quisnam Auctor?

Quæstio I. Quis sit Auctor hujus clausulæ?

Respond. Equidem optime animadvertit D. Spittlerus totum Instrumentum aschaffenburgense conceptum, scriptumque esse ab Italo (n): daß ein Italiäner, und nicht ein Deutscher das Concept des aschaffenburger Recesses entworfen, ist nur sehr wahrscheinlich aus dem wunderbaren Unterschied, der zwischen natio alemannica und germanica daselbst gemacht, oder gefürchtet wird. Ein Deutscher wäre schwerlich hierauf verfallen. Et certe neminem latere poterit hæc aschaffenburgensia esse transsumta ex concordatis constantiensibus, quæ stilum curiæ romanæ mox in fronte præseferunt. In specie autem hanc clausulam inventam, ac conscriptam esse a Romanensi, ipsa loquela manifestum facit. Narrat enim scriptor stilo curialistico imbutus a) quædam per Eugenium Papam, *indulta*, *permissa*, & *concessa*, & quidem *pro Natione præfata*, tanquam altera parte compaciscente. Subjungit mox b) cautelam in favorem jurium Romano Pontifici neo-adquisitorum, *in quantum illa præsenti concordiæ non obviant*: quo de nequidem cogitasse præsumitur Natio germanica Decre-

torum

(n) Loc. cit. 1. B. 3. St. Seite 480.

torum basileensium tenacissima: atque c) ex ipsa Bulla confirmatoria elucet, dum Nicolaus V. ait: *ista vice nihil volumus immutatum.* Quam rem d) omnino conficit, siquidem instrumentum istud jam ante conventum aschaffenburgensem in Aula Viennensi præparatum extiterit: cujus fortissimam conjecturam, si non certitudinem subministrant die Nachrichten von Juvavia Seite 217. dum narrant, Fridericum Imp. ad Fridericum IV. Archiepiscopum salisburgensem hoc instrumentum cum literis patentibus ddo. 17. Februarii 1448. misisse, id est, eodem die, quo prædictum Instrumentum Aschaffenburgi conditum hucusque credebatur. Verba, quibus hæc notatu, & altiori indagine dignissima in secretiori tabulario salisburgensi coæva manu consignata leguntur, sunt ista: *Littere patentes Friderici Romanorum Imperatoris in papyro scripte, quibus insinuat & notificat Friderico Archiepiscopo Sals. concordiam seu concordata inter Joannem Cardinalem sancti Angeli per Alemanniam Legatum, vice, & nomine Sedis apostolice, ac nationem germanicam super provisionibus beneficiorum, annatis, & aliis factam & habitam, seu inita & conclusa exhortatur eundem Archiepiscopum, ut concordata ipsa acceptet, & Suffraganeos suos, ut illa acceptent, inducat, sub dato Vienne* 17. *Febr. anno* 1448. Ast quî fieri hoc potuerit, grande dubium superest, nisi præviam illius existentiam admiseris.

Hoc jam stante ponamus verba hujus clausulæ esse dubia, obscura, & difficilis explicationis, an de valore decretorum basileensium ulterius conservando agant, vel non: adsumamus hanc ipsam ambiguitatem magis implicari per excogitatas quorundam interpretationes: demus summos etiam Paciscentes desuper collidi: quanam ex parte standum erit? an contra nationem, vel contra curiam romanam facienda explicatio? an pro vel contra valorem Decretorum pronuntiandum? Ne in regulas interpretandi committas, regulam Juris sequere, quæ habetur *c.* 57. *de R. J. in VI. contra eum, qui legem dicere potuit apertius, facienda est interpretatio.* Atqui is clarius loqui debuit, potuitque, qui verba Pacti concepit, vel concipere, aut mentem suam explicare debuit, atque obscure & ambigue locutus est: juxta Leyserum supra cap. 1. §. 8. n. 5. allegatum; stabilitumque ibidem

ibidem Principium generale. Quid? an non jam hæc sola pro valore Decretorum sufficiant? sed ipsa verba perpendamus.

§. 7.

Q. II. quænam intelligantur sub *aliis autem &c.*

Quæst. II. Quænam intelligantur per TO IN ALIIS AUTEM?

Respond. Duo objecta continentur in concordatis aschaffenburgensibus :scil. 1mo, Recompensatio Romano Pontifici præstita: & 2do, Bulla Eugeniana Decretorum Basileensium confirmatoria. Postquam largissima, & superabundans recompensatio Sedi pontificiæ fuit constituta, atque Reservationes Juris scripti, & Extravagantium, plenæ confirmationes *Electionum*, alternativa Mensium, & insuper annatarum taxæ eidem assignatæ fuerunt, contra ac in Decretis basileensibus statutum erat: concordantes ad secundum punctum transgrediuntur, nimirum ad Bullam Eugenianam, quæ ante annum quoad Basileensia decreta præter tres reliquas in Legatorum germanicorum manus Romæ data fuit. Nam hæc sola Bulla: *ad tranquillitatem*: erat *pro Natione germanica*: quippe per quam ex pluribus gravaminibus relevata fuit. Hæc ergo si literalem textum consideremus, sunt illa ALIA. Nam post illud grande schisma inter Eugenium & Patres Basileenses, durante ultra octennium illa Neutralitate, integræ Nationi nullum aliud negotium cum Eugenio intercessisse constat, quam illud unionis & concordiæ. Cum ergo hoc loco mentio fiat DE ALIIS, quæ jam antea fuerunt conclusa & concordata, cumque illa in præsenti hoc conventu nominetenus indigitentur, deque illis vel retinendis, vel dimittendis agatur, hæc ALIA, i. e. Decreta basileensia in ipso momento initorum concordatorum expirasse, omnemque valorem amisisse qua sana ratione dici poterunt? Profecto inania, absurda, omni sensu destituta, & summis Paciscentibus prorsus indigna fuissent hæc verba. Id quod ex supra statutis principiis cap. 1. §. 8. n. 1. 4. plane non admittendum.

§. 8.

Quæst. III. Quænam per fel. record. D. Eugenium Papam quartum pro Natione præfata -- permissa, concessa, indulta atque decreta fuere?

Respond. Constat Eugenium IV. ad instantiam Legatorum germanicorum obedientiam nomine Nationis præstantium quatuor Bullas dedisse: *una*, quæ incipit, *Ad ea*, *quæ*: *ddo. Non. Febr.* 1447. concernebat restitutionem Archiepiscoporum trevirensis, & coloniensis: quæ hodie nonnisi usum historicum habere videtur celeberr. Domino Horixio in nota (*) tomo I. concordat. integr. pag. 135. *altera*, quæ incipit: *Inter cætera desideria*: *ddo. septimo Idus Febr.* 1747. respicit illa, quæ tempore Neutralitatis fuerunt acta & gesta, quæque Eugenius ob defectum pontificiæ confirmationis, dispensationis vel indulti tanquam illicita & invalida sua auctoritate juxta stilum curiæ reconvalescere facit: quamvis Ecclesiæ germanicæ *per salutarem clausulam constantiensem* in plenam libertatem, ex speciali declaratione Martini V. R. Pontificis, post lapsum quinquennium restitutæ decreta basileensia, prædictæ clausulæ ex .asse conformia, acceptare, retinere, & exequi omni ex jure potuerint. *Tertia* Bulla: *Ad ea ex debito*: *ddo. non. Febr.* 1447. de celebratione novi concilii agebat; cujus effectus juridicos supra laudatus Barthelius prolixius deprædicat loc. cit. Denique *quarta*: *Ad tranquillitatem*: *ddo. non. Febr.* 1447. confirmat decreta basileensia, salva tamen recompensatione promissa; atque ipsum Romanum Pontificem ad servanda illa decreta in favorem Nationis sublevandæ concepta juxta propriam confessionem obligat; prout cap. superiore §. 4. & seqq. explicatum. Hæc omnia Eugenius Papa confirmavit. Jam vero cum inter hæc aliqua occurrant, quæ effectum suum jam diu consecuta fuerunt, veluti restitutio duorum Archiepiscoporum in suas sedes, item ea, quæ tempore Neutralitatis præterito acta fuerunt; cumque Paciscentes aschaffenburgenses non *circa præterita*, sed *circa futura*, & circa ea, quæ deinceps effectum habere debeant, disposuisse, nonnisi imprudens quispiam negare poterit, prorsus manifestum redditur, per hæc concessa, indulta, & permissa Eugeniana nil aliud intelligendum, quam ea, quæ in tertia & quarta Bulla conti-

Q. III. Quænam per Eugenium IV. concessa?

nentur, scil. convocationem concilii generalis, & Decreta basileensia. Hæc enim sola erant *pro natione præfata*, i. e. in favorem gravaminum exinde removendorum: neque alia intelligit Nicolaus V. in literis ad Archiepiscopum Maguntinum, supra c. 4. §. 7. recitatis, dum ait: *concordatum fuisse - - super multis bonum statum & commodum ejusdem Nationis concernentibus.* Et quidem hæc sola *ad tempus futuri concilii generalis* suo modo extendi potuerunt, de quo in quæst. V. plura.

Attamen si forte pura puta verba: *indulta*, *permissa*, *concessa*, *decreta*: tibi scrupulum moveant de quibusdam privilegiis, gratiis, aut indultis subaudiendis &c. observes velim, ista nonnisi stilum curiæ romanæ sapere: ac principia illorum temporum præseferre: prout variæ hujus tenoris epistolæ leguntur tum Æneæ Sylvii ad Maierum Cancellarium Maguntinum, tum Calixti III. R. P. ad Imp. Fridericum III. de anno 1457. *Quinimo quamvis liberrima sit apostolicæ Sedis authoritas, nullisque debeat pactionum vinculis coerceri, ex mera tamen liberalitate nostra, ex zelo, quem gerimus ad pacem, & charitate, qua te tuamque Nationem prosequimur, Concordatis ipsis locum esse volumus, nec patiemur ea temere violari, dum romanæ Sedis gubernacula retinebimus.* Quocirca Perill. Christ. Heinr. de Senckenberg (n) egregie advertit: *Datur id honori Ecclesiæ sanctæ romanæ, nec turpe filiis, etiam quæ jure debentur, a Parente per privilegium capere, & ea, quantum in ipsis, obsequio demereri. Subdit deinde in nota* 17) *Sancta Sedes cuncta etiam vi juris regii debita, veteri stilo Privilegia vocat. Sunt ergo pacta etiam privilegia, sed vocis sono, & non revocabilia, aut pro libitu restringenda. Unde etiam Germania declarationes Concordatorum pontificias non admisit.*

Ex quibus ergo jam patet ea ipsa, quæ Romani in præsenti negotio dicunt *indulta*, *permissa*, *concessa* & *decreta*, a Germanis omni jure vocari *concordata*, *transacta*, & *conclusa* ad exemplum ipsius Nicolai V. R. P. in literis mox allegatis: ubi concordata Eugenii inter concessa, & ordinata ab illo recenset.

§. 9.

(n) Methodo jurisprud. pag. 179.

§. 9.

Quæst. IV. Quænam per memoratum sanctissimum Dominum nostrum Papam Nicolaum V. confirmata fuere? Q. IV. Quænam per Nicolaum V. confirmata?

Respond. Parata jam verba habet prælaudatus Spittlerus (o): Was Eugen nicht eingeräumt, räumte auch nicht ein sein Nachfolger Nikolaus V., und Bullen des letztern, die man als neue Bestätigung der uns vom Pabst zugestandenen Basler Decrete ansicht, sind blos Bestätigungen der Rechte, die uns sein Vorgänger Eugen IV. zugestund, was dieser also nicht zugestanden, hat Nikolaus nie bestätiget, **der Aschaffenburger Aufsatz ist leider unser ganzes vollständiges Concordat mit dem Pabste.**

Ast liceat invertere argumentum: nam tum in præcedenti responsione, tum in capite III. satis luculenter ostensum fuit Eugenium IV. Decreta basileensia in ratione concordatorum adprobasse: eademipsa etiam Nicolaum V. sua auctoritate confirmasse ad oculum exhibent 1mo, illius literæ ad Archiepiscopum Maguntinum jam sæpius allegatæ cap. IV. §. 7. 2do, testantur ejusdem varia diplomata in favorem Principum ad concordiam nonnihil serius redeuntium emissa, in quibus expressa mentio fit de Bulla Eugeniana: *ad tranquillitatem: ddo. nonis Febr.* 1447. apud Rainaldum (p) 3tio, Dubium omne tollunt diserta clausulæ præsentis verba; quæ enim concordatum aschaffenburgense antecedentia *pro natione germanica præfata* magis fecerunt? quæ usque *ad tempus futuri concilii generalis* duratura confirmari potuerunt, nisi dicta Decreta? Profecto si alia substituas, absurditatem haut evitabis, contra principium cap. 1, §. 4. n. 4. præfixum. 4to, His omnibus præcipuum testimonium præbet Bulla confirmatoria Nicolai V. concordatis aschaffenburgensibus adjuncta. Quid, quod ipsimet curialistæ fateantur a Nicolao V. *Decreta basileensia* fuisse confirmata? Sic Cardinalis de Petra (q) scribit: „ Plura in iis (Concordatis Germaniæ) contenta videntur prius disposita etiam in concilio „ basileensi, invalide tamen, quia licet præfatum concilium ab

 „ initio

(o) Histor. Magazin 1. B. Seite 376.
(p) Annal. Eccles. ad an. 1447. n. 17.
(q) Ad constit. Apost. tom. V. p. 2. & p. 5. n. 3.

„ initio fuerit oecumenicum, nihilominus postquam temerario „ conatu multa contra pontificiam auctoritatem ab omni juris- „ dictione exemptam in terris, attentare non erubuerit, tunc „ a capite suo divulsum non amplius legitimi concilii, sed infe- „ licis conciliabuli munus obivit. Nicolaus V. Successor Euge- „ nii sedulam navavit operam, ut Pax ab ipsomet conciliata „ in Germania consumaretur; misitque Cardinalem Carvajalem „ titulo S. Angeli nuncupatum, ad Fridericum Imp. ac Princi- „ pes Germaniae, cum quibus Pax firmata fuit; Neutralitas „ denuo abolita, conciliabulo basileensi renuntiatum, & Sedi „ apostolicae ac Nicolao V. obedientia praestita extitit, NB. salvis „ quibusdam favorabilibus, quae in concilio basileensi emanata „ fuerunt, non quidem ex jure ipsius conciliabuli, quod nullum „ habebat, sed ex sola Sedis apostolicae benignitate. Quae tamen juxta superius ex celeberr. Senckenbergio allegata esse intelligenda facile quivis advertit. Hinc jam manet Nicolaum V. ad exemplum sui Antecessoris Eugenii IV. *Decreta basileensia* sua quoque auctoritate corroborasse, eaque nobis praeter concordatum aschaffenburgense in hodiernum usque diem superesse.

§. 10.

Q. V. quoadusque perdurent?

Quaest. V. Quoadusque haec *permissa*, *concessa*, & *confirmata* perdurent?

Respond. Terminum eorum, quae Eugenius IV. & Nicolaus V. cum Natione germanica tractarunt, decretorium, atque omnium controversiarum decisorium clausula aschaffenburgensis tam clare adnuntiat, ut nemo illum, nisi cum Spittlero expungere velis, ignorare valeat: nimirum: *usque ad tempus futuri generalis concilii.* Et quidem iste terminus nominatur in eodem concordato Legati pontificii, quoipso quidam Auctores omnem Decretorum basileensium valorem extinguere volunt; quoipso tanquam unica inter Romanum Pontificem & Nationem germanicam cynosura etiam gloriari videntur. Hunc eundem terminum jam praecedenti capite §. 6. tunc temporis utraque ex parte communiter placuisse fuit observatum: & nunc ad caussam nostram penitus decidendam sufficere quivis perspectum habebit. Aperte enim exinde declaratur animus Eugenii, quo

inte-

interim permittere & indulgere voluerit, *ut omnes & singuli Decretis basileensibus libere & licite uti possint*; quippe non usque ad tempus concordati, quo tantum circa compensationem, *ut prædictum est*, tractandum: sed etiam ultra; & quidem *usque ad tempus futuri generalis concilii: donec per concilium - aliter fuerit ordinatum.* En egregiam inter referens & relatum harmoniam! Et sane siquidem vi Concordati aschaffenburgensis terminus concilii generalis in favorem Romani Pontificis ratione alternativæ & annatarum valeat, dic mihi, cur non etiam Nationi germanicæ quoad priora Concordata faveat, aut qua ratione frustraneus censeri possit?

Jam vero tale quoddam Concilium generale ad hodierna usque tempora fuisse celebratum, ignoramus. Equidem ad Concilium Tridentinum varia ex parte Nationis fuerunt præparata gravamina, uti mutua inter Principes Ecclesiasticos, & seculares, & Nuntium Apostolicum in comitiis Norimbergensibus de anno 1523. Scripta apud Le Plat (r) atque Recessus Augustan. de anno 1530. §. 132. (s) testantur; atque ibidem etiam saluberrima disciplinæ ecclesiasticæ restaurandæ Decreta, eaque Ecclesiis germanicis adprime accommodata fuerunt constituta, v. g. Seff. XXIV. cap. 20. *de ref.* circa primam apud Episcopos instantiam: Seff. XXV. c. 10. circa judices in partibus: Sess. XXV. c. 22. *de Regul.* de restringendis privilegiis & exemtionibus. Seff. XXIV. c. 12. *de ref.* de dimidia parte canonicatuum graduatis conferenda. Seff. XXIV. c. 2. *de ref.* de celebrandis conciliis provincialibus & diœcesanis &c. hæc tamen omnia finem decretorum basileensium nequaquam adduxerunt; quippe quæ veram concordatorum rationem habent, & nonnisi reciproco consensu, quo ceperunt, pro nostra Germania aliter ordinari, aut dissolvi poterunt. Secus id accidisse quoad Galliam in generali Concilio Lateranensi V. anno 1516. celebrato notissimum est, cujus auctoritate Decreta basileensia Sanctione pragmatica munita per specialem Bullam Leonis X. *Pastor æternus*: ddo. 14. cal. Jan. 1516., quam exhibet M. Durand. de Maillane (t), sublata

(r) Collect. Monument. ad Hist. trident. concilii tom. II. pag. 153. & seqq.
(s) Neue Sammlung der Reichsabsch. II. Theil. Seite 326.
(t) Diction. de Droit. canon. tom. I. pag. 777.

lata, atque nova Concordata inter Romanum Pontificem, & Franciſcum I. Regem Galliæ fuerunt erecta, Eccleſiis gallicanis, quarum proteſtationes & provocationes *ad Papam melius conſultum, & futurum Concilium generale legitime congregandum, & ad illum, vel illos, ad quem ſeu ad quos petendo Apoſtolos inſtantiſſime* apud eundem *M. Durand* ſub voce *Pragmatique Sanction* invenies, certe minus favorabilia, quam noſtra ſunt Aſchaffenburgenſia. Si ergo juxta expreſſam partis compaciſcentis declarationem tempus futuri generalis Concilii adhuc expectandum; ſi dies Decretorum Baſileenſium nondum venit, quid continuo illorum valori obſtet, quid modernam auctoritatem imminuat, quidque illorum obligationi pactitiæ derogare debeat, plane non video, niſi tu mihi aliam compaciſcentium oſtenderis voluntatem.

§. II.

Q. VI. ſub qua conditione?

Quæſt. VI. Sub qua conditione adhuc perdurent Decreta Baſileenſia?

Reſpond. Singularem omnino providentiam ac ſollicitudinem illa verba exprimunt, quibus Paciſcentes Aſchaffenburgenſes Decretis Baſileenſibus conditionem ponere decreverunt; nimirum, *in quantum illa praeſenti Concordiæ non obviant.* Igitur ea omnia valeant neceſſe eſt, quae Aſchaffenburgenſi Pacto non ſunt contraria, & tamdiu valeant, quamdiu præſens Pactum. Vel dic mihi, quid ſibi velit hæc limitatio, ſi Concordata Francofurtana jam expirarunt? anne lex iſta pro præteritis, vel potius pro futuris caſibus ſcripta eſt? ſi pro futuris? cum de præteritis vel etiam cogitare abſurdum ſit, ſequentes cape regulas: 1ma eſt, Concordata Principum, ſeu Decreta Baſileenſia, utpote priora, eſſe *regulam*: Aſchaffenburgenſia vero *exceptionem a regula* continere. Paradoxum enim foret prius ponere exceptionem & poſtea regulam præſcribere: cum expreſſis verbis ſtatuatur, *in aliis*, quæ per Eugenium IV. conceſſa, & per Nicolaum IV. Papam confirmata fuerunt, nihil immutatum fuiſſe, *in quantum præſenti Concordiæ*, utpote poſteriori, *non obviant.* Si ergo quæſtio incidat de jure conſecrandi Epiſcopos: de diverſis Annatarum aut taxarum ſpeciebus ſolvendis vel non:

de,

de effectu illius clausulæ: *nisi ex caussa rationabili & evidenti & de fratrum consilio de digniori & utiliori persona duxerit providendum* &c. &c. consulenda regula Decretorum Basileensium eo tutius, quo minus *illa præsenti Concordiæ obviant.* 2da est; Decretis Basileensibus non aliter, quam *expressis* verbis in Aschaffenburgensi Pacto quidquam derogatum censeri: secus enim dici haut poterunt obviare præsenti concordiæ, siquidem illorum oppositio per exquisitas ambages sit deducenda. Conf. cap. præced. §. 9. 3tia statuitur: in dubio prævalere Decreta Basileensia. Ratio in prædicta conditione fundatur, juxta quam prius ad illa attendendum, illisque inhærendum, nisi secundo concordato contraria inveniantur. Hæc itaque in disertis hisce verbis inveniri existimo, siquidem stricte, & secundum communem usum loquendi accipiantur, siquidem potius valere, quam perire debeant, & siquidem turpis cavenda sit absurditas juxta Principia generalia cap. 1. §. 8. explicata.

§. 12.

Quæstio VII. Quid sibi velit: *ista vice*? Q. VII. Quid ista vice?

Respond. Hæc particula luculenter manifestat 1mo, in conventu aschaffenburgensi occasione concordati cum Legato pontificio in deliberationem venisse Decreta sæpius dicta: prout id jam supra cap. IV. §. 8. ex Ænea Sylvio auditum: atque etiam conclusum, circa ea nihil fuisse immutatum. 2do, simul etiam reservat aliam occasionem ea modificandi, ut puta; vel novum concordatum, vel concilium generale; quorsum antecedentia verba directe collimant. Unde jam ea, quæ *ista vice* fuerunt acta, eo majus momentum habebunt, quo majori cum deliberatione, ac cautela ex utraque Paciscentium parte conclusa atque decreta fuisse compertum est. Porro si hoc ipsum verbulum: *ista vice:* aliud quoad laudata Decreta de novo componendi tempus expectare jubet, utique illa subsistere & eousque valere omnino necesse erit; atque *ista vice* fuisse sublata nemo ne quidem, ut puto, amplius cogitare poterit.

§. 13.

§. 13.

Q. VIII. Quid *nihil extitit immutatum?*

Quæst. VIII. Quid ſignificet: ***nihil extitit immutatum?***

Reſpond. Poſtquam in ſecunda concordati aſchaffenburgenſis parte expreſſa mentio facta fuit eorum, quæ ſub Eugenio IV. & ante præſentem hunc tractatum in favorem Nationis germanicæ acta & probata, ſicque Decreta Baſileenſia, ni omnia me fallant, in ipſam hanc conventionem diſertis verbis (quoipſo clar. Spittler loc. cit. Seite 374. & 481. ubi ſpecialem renovationem illorum requirit, atque ſtilum ſcriptoris italici magis correctum, & noſtris temporibus accommodatum deſiderat, omnino ſatisfactum videtur) deducta fuerunt; poſtquam hæcipſa & præſens concordia cum multa deliberatione & ſtudioſe inter ſe, in quantum, ut verba ſonant, illa huic non obviant, fuerunt comparata, ac diſcuſſa; tandem ultima communi conſenſu ſtatuitur ſententia; in illis *iſta vice nihil extitit immutatum.* Qua ſub ratione Decreta Baſileenſia usque ad tempus concordati aſchaffenburgenſis ſteterint, capite III. nonnihil prolixius fuit explicatum, dum illa veram concordatorum naturam inter Romanum Pontificem, & Nationem germanicam in conventu francoſurtano aſſumſiſſe, eamque ſequenti capite IV. per concordatum aſchaffenburgicum neutiquam amiſiſſe monſtravimus. Jam hæc ipſa publicorum concordatorum ratio nunc, ſalvis tamen modificationibus adjectis, ſatis luculenter ſtabilitur, per verba: *iſta vice nihil extitit immutatum.* Nam quod non eſt mutatum, ut adhuc exiſtat prorſus neceſſarium: juxta illud: *quod non mutatur, cur ſtare prohibeatur?* - Ponamus Sempronium duo conficere teſtamenta: in primo heredem ſcribit Stichum & Cajum, adjectis pluribus Legatis: in ſecundo expunctis Sticho & Cajo inſtituit Plautum, addita clauſula: *in aliis autem, quæ in priori teſtamento ſcripta fuerunt, in quantum præſenti non obviant, iſta vice nihil extitit immutatum.* Quæſo, quis ſanæ mentis homo valorem Legatorum priorum in dubium vocabit? an non potius hac ſecunda diſpoſitione prior teſtatoris voluntas vel maxime confirmatur? Quid aliud de caſu noſtro, quo duo producuntur concordata, ſentire poteris? aut ergo oſtendatur, Decreta Baſileenſia antea nullum habuiſſe valorem; aut admittatur etiam poſtea retinuiſſe, in quantum aſchaffen-

bur-

burgenſi concordiæ aperte non contrariantur. Quibus jam dilucidatis, me etiam non monente, in omnium oculos incidit 1mo, tamdiu ſtare Decreta baſileenſia, quamdiu non adverſantur aſchaffenburgenſi concordiæ. 2do, cauſſam inter Compaciſcentes dubiam potius ad normam illorum eſſe decidendam; v. g. circa reſervationes Dignitatum electivarum in curia vacantium, circa reſignationes &c. 3tio, Novas reſervationum ſpecies plane nullum in germania noſtra habere locum v. g. quoad adpoſitionem manus Romani Pontificis, quoad publicandas reſervationes &c. ex ſæpedicta ratione, eoquod in illis *iſta vice nihil extitit immutatum.*

§. 14.

Senſus clauſulæ ex præfixis principiis.

Atque hoc tantum, quod hactenus diximus, clauſulam aſchaffenburgenſem ſignificare omni prorſus dubio carebit, ſiquidem illius verba ſtricte & ſecundum communem uſum loquendi ſumenda; ſiquidem in explicando omne abſurdum præprimis ſit evitandum; neque ullum verbum fruſtraneum, ſed potius talem effectum habere cenſeri debeat, ut actus potius valeat, quam pereat; & ſiquidem etiam, dato tantum non conceſſo, obſcura & ambigua illius verba forte cuipiam videri poſſint; ſique illa quæ huic diſſertationi *Cap. I.* §. 8. præmiſſa fuerunt, Principia aliquid valeant. Hunc ipſum ſenſum ex tenore, & diſpoſitione Inſtrumenti Aſchaffenburgenſis Concordati; & non alium haberi eo certius redditur, quo luculentius ſecundam partem de iis, quæ pro Natione germanica concluſa ſunt, agere legenti adparebit. Quod ſi nequidem hæc Decretorum baſileenſium capita noſtræ Nationi data fuiſſent, nil niſi verba reportaſſet. Id quod eo minus veroſimile videtur, quo certius rationem veri concordati præſefert inſtrumentum aſchaffenburgenſe.

§. 15.

Ex nova concordati ratione.

Quod quidem tanti æſtimandum venit, ut omnem circa Decreta baſileenſia controverſiam definitive decidere valeat. Ponamus enim prædicta Decreta in conventu francofurtano calendis Septembribus anno 1446. celebrato non tranſiiſſe in

propria concordata inter Romanum Pontificem & Nationem germanicam: adsumamus Bullam Eugenii IV. *Ad tranquillitatem*: non exprimere necessarium compaciscentis consensum: demus etiam obligationem pactitiam ibidem tantum alligari futuro concordato, *donec per legatum concordatum fuerit*: tamen, quidquid ad publicum & solenne Pactum desiderari poterit, hocipsum instrumentum prædictis Decretis attribuere haut difficulter observatur. Luce meridiana clarius hactenus, ut puto, demonstratum ivimus, in aschaffenburgensi conventu sermonem fuisse de Basileensibus Decretis: illa fuisse cum concordato Legati pontificii sollicite collata: ac tandem mutuo consensu conclusum: *in quantum illa præsenti concordiæ non obviant, ista vice nihil extitit immutatum.* Quid, quæso! siquidem communem loquendi usum adhuc amemus, perspicua hæc verba aliud indicare poterunt, quam hæc ipsa Decreta novum valorem, novam auctoritatem, atque ipsam etiam quodammodo immutabilitatem ex mutua compaciscentium voluntate & expressa declaratione adquisiisse. Itaque, mea quidem opinione, nil aliud restat, quam ut vel omnino diffitearis concordatum aschaffenburgense, vel per hocipsum decreta basileensia sub eadem concordatorum qualitate ad nostra usque tempora conservari concedas. Hinc veniam dabit Spittlerus, si novam hypothesin, quam circa Decreta basileensia, post laudatas Exim. Doct. Mohlii, sui etiam Adversarii, animadversiones, caussa quasi desperata, proponere voluit; ob es nicht besser wäre, jene Basler Dekrete bloß als allgemeine Kirchengesetze anzusehen, denn als Haupt-Artikel eines mit dem Pabst geschlossenen, ordentlichen Vertrags? (u) mere gratuitam, atque potius, quæ hodie magis placent, politicis, quam juridicis principiis fundari dicamus. Non enim quærimus, quid melius sit, sed quid actum sit? quamvis opinio clar. Spittleri Nationi germanicæ magis periculosa, quam favorabilis exinde videri debeat, quod Natio gallicana, utpote initis cum Romano Pontifice concordatis destituta, Decretis basileensibus jam ante duo secula satis infeliciter exciderit. Id quod nobis eo minus timendum, quo magis præsidio publicorum concordatorum certe fortissimo, a Majoribus nostris, prout hactenus monstratum, consiliis sapientissimis præparato, præ reliquis Nationi-

(u) Hist. Magaz. IV. B. 1. St. 8. n. S. 160 – 164.

nibus hodienum, donec aliter de consensu Nationis ordinatum fuerit, defendimur.

§. 16.

Tandem his omnibus gravissimum pondus ac momentum addit Præclarissima Responsio, quam Reverendiss. ac Celsiss. DD. Augustus Episcopus Spirensis, ex illustriss. S. R. I. comitum de Limburg - Styrum Prosapia oriundus, jurium ac Libertatum Ecclesiarum germanicarum vindex generosissimus æque ac sapientissimus ad Eminent. DD. Archiepiscopum Maguntinum circa Punctationem Emsanam anno 1787. dederat, ubi mentem suam circa Decreta basileensia hunc in modum declarat (w): Und zwar ad a) ist es die wahre, und der Geschichte angemessene --- wie auch durch die noch vorhandene Brevien des Pabsts Eugen des IV. außer allen Zweifel gesetzte Meynung, daß die Gültigkeit und Beobachtung der von der deutschen Nation mit gewissen Modificationen in dem Jahre 1439. angenommenen Decreten des Conciliums zu Basel, von dem apostolischen Stuhle durch einen wahren Vertrag der deutschen Nation zugestanden worden, und also diese Decreten in der Regel die deutschen Concordaten enthalten, wovon hernach die zu Aschaffenburg errichtete, selbst nach den Buchstaben derselben, die Ausnahme machen, welches also auch meinen Beyfall hat. Quæ notatu dignissima verba in pugnum contrahunt ea, quæ hactenus prolixius explicanda sumsimus: atque ipsum etiam D. Spittlerum, ut sinistra de prælaudato Cels. Episcopo præconceptam suspicionem publice (y) deponeret, moverunt; dum allegatam responsionem tribus articulis distinctam loc. cit. exhibet: atque I. circa ea, quæ Reverendiss. DD. Episcopo in Congressu Emsano placent; II. quæ singulari compositione cum Papa tractanda videntur; III. quæ Eidem Celsissimo penitus displicent. Et hinc summam hujus Reverendiss. Episcopi in regundis jurium finibus æquitatem colligere licet, eundemque a via facti, qua quidam ingrediuntur, quam maxime abhorrere satis luculenter adparet.

Ex auctoritate Rvmi. Episcopi Spirensis.

(x) Antwortschreiben S. hochf. Gn. zu Speier an S. Kurf. Gn. zu Mainz in Betreff der Emser Punkten. Bruchsal 1787. Seite 24. ad VI. & VII.

(y) Histor. Magaz. I. B. 3. St. S. 525.

§. 17.

Respondetur ad objectiones D. Spittleri.

Cum itaque hæc nostra sententia tantis fulciatur argumentis, præpropera, immo potius inania videntur lamenta Spittleriana, ac si inter antiquatas Publicistarum quisquilias hodie jacerent, improbisque monetis connumerada essent Decreta basileensia loc. cit. Seite 374. Prout neque ad rem pertinere, multo minus prævalere possunt ea, quæ majori verborum adparatu, quam rationum pondere præfatus Auctor ibidem affert de malis artibus, fatali astutia, ac fraudibus Romanensium circa ferienda Pacta aschaffenburgensia adhibitis: eoquod hæc talia fata omnibus vixnon publicis transactionibus communia esse soleant, uti pro ingenua animi sui indole fatetur laudatus Mohlius (z). Ich möchte nicht behaupten, daß wir auch nur einen Völkervertrag hätten, der von beyden Paciscenten ganz redlich eingegangen worden wäre, oder wo man wenigstens nicht wegen einigen Puncten desselben, gespielte Betrügereien würde beweisen können. Dieses ist nun zwar bey einem mehr, bey dem andern weniger richtig; aber das folgt dannoch unstreitig daraus, daß, wenn man den obern Satz annehmen will, dadurch der Heiligkeit und Unverbrüchlichkeit fast aller Völker Verträge, bey denen dieses eben so gut angewendet werden müßte, als bey den Verträgen mit dem römischen Hof, der stärkste Stoß gegeben werde, und daß sie, wenn man sie dadurch auch nicht zu einer bloßen Schimäre herunterwürdiget, dannoch alle schwankend gemacht werden. Quæ quidem verba, in principiis Juris Naturæ ac Gentium fundata, eo majorem vim & auctoritatem tam Aschaffenburgensibus concordatis, quæ sola Nationem germanicam & Romanum Pontificem stringere hariolatur prædictus D.Spittlerus, quam basileensibus Decretis, quæ inter reliqua Nationis concordata hodienum stare contra Adversariorum argumenta hactenus defendimus, superaddere nemonon perspiciet.

§. 18.

II. ad object. Anonymi

Ast supra citatus Anonymus, a nostra sententia vel maxime abhorrens, potissimum in eo confidit, quod Decretorum basileensium *memoria a seculo XV. penitus evanuerit: ad ea nunquam, econtra ad concordatum aschaffenburgense centies fuerit pro-*

(z) Bemerk. über die neueste Geschichte der deutschkatholisch. Kirche. Seite 146.

provocatum? Verum five ad momentum, five ad hiftoriam horum verborum refpicias, illico patebit, ex utraque parte omnino infirmari. Quis enim hucusque detexit illis temporibus, queis per generales ac fpeciales Epifcopatuum & Abbatiarum refervationes pontificias fplendidiffima liberæ electionis prærogativa in Germania noftra, ut fupra cap. II. §. 5. obfervatum, quam maxime perturbata fuerat, ad *Pactum Calixtinum* fuiffe provocatum? Quem nofti a tempore concilii conftantienfis usque ad bafileenfe *claufulam quiquennalem concordati conftantienfis*, vindicandis juribus ac libertatibus Ecclefiarum germanicarum certe opportuniffimam, occurrente fæpius occafione, in rem Germanorum unquam allegaffe? Quamdiu ipfa etiam afchaffenburgenfia concordata quafi inculta, & oblitterata jacuerunt, & quidem vixnon ad noftra usque tempora? an propterea ifta ex numero publicorum inftrumentorum expungere audebis? Profecto ignorare nemo poterit, plurima, & graviffimi momenti documenta, ac diplomata circa jura integrarum provinciarum, fucceffiones illuftrium familiarum, aliaque Pacta & acta publica tum comitiorum Imperii, tum conciliorum ecclefiafticorum noftris primum diebus in lucem fuiffe producta, quorum nulla in anterioribus feculis occurrit memoria: quin exinde valorem & auctoritatem illorum labefactari confpiciamus. -- Immo Eximius D. Mohl in prælaudato tractatu ad oculum exhibet, decreta bafileenfia in recenti femper Nationis noftræ memoria fuiffe, dum ex publicis inftrumentis luculentiffima prædictorum decretorum teftimonia induftria prorfus fingulari recenfet. Atque vel hoc unicum fufficere poterit, in capitulationibus cæfareis a Carolo V. usque ad noftra tempora ferie non interrupta renovata fuiffe *Decreta bafileenfia*, feu fi mavis, *Concordata Principum* per formalia Artic. XIV. §. 1. Wir sollen und wollen auch in künftiger unserer Regierung bey dem heiligen Vater den Pabst und Stuhl zu Rom unser bestes Vermögen anwenden, daß von demselben, gleichwie wir ohnehin des Vertrauens seynd, die *Concordata Principum*, und die zwischen der Kirche, päbstlicher Heiligkeit, oder dem Stul zu Rom und der teutschen Nation aufgerichtete Verträge -- allerdings beobachtet werden ꝛc. Quibus verbis etiam alia, præter afchaffenburgenfia, indicari Pacta & Concordata nemo prudens diffitebitur, & quænam illa? nifi decreta bafileenfia, veram concor-

ex filentio petitas.

cor-

cordatorum vim habentia. præter Pactum Calixtinum, & aschaffenburgense intelligenda veniant, verba hæc superflua, omnique sensu carentia haut immerito videntur. Prolixiorem tamen capitulationis cæsareæ explicationem apud prælaudatum Mohlium (aa) invenies. Tandem ut paucis multa dicam, eaipsa aschaffenburgensia concordata, ad quæ Anonymus centies provocatum fuisse dicit, disertis verbis decreta basileensia referunt adjecta clausula: *in aliis autem* &c. Hinc mea quidem opinione, certe nihil absurdius cogitari poterit, quam admittere concordata aschaffenburgensia, & rejicere decreta basileensia: cum hæc per illa: *in quantum præsenti concordiæ non obviant*, novam obtinuerint auctoritatem, prout ex antecedentibus manifestum redditur.

§. 19.

III. ex contraria praxi Germaniæ.

Porro qua ratione præfatus Anonymus *ex praxi Ecclesiarum germanicarum quibusdam Decretis basileensibus contraria* mentem compaciscentium demonstrare valeat, intellectu omnino difficile est. Certe plura occurrunt in aurea Bulla, quæ aut nunquam in praxin deducta, aut pro diversis circumstantiis fuerunt modificata. An propterea mentem Caroli IV. veram & fundamentalem Imperii legem scribere volentis dubiam dixeris? aut auream Bullam in albo authenticarum constitutionum expungere poteris? Neminem latet, saluberrima Concilii tridentini Decreta in Germania nostra aperte violari. An dolenda hæc praxis sanctissimi Concilii auctoritatem & obligationem hucusque tollere potuit? Denique de ipsis etiam concordatis aschaffenburgensibus plane conclamatum erit, siquidem ex frequentioribus illorum violationibus mentem compaciscentium arguere, vel hodiernum valorem statuere velis. Nimirum hisce prævaricationibus merito incurrimus culpationem Novellæ 23. cap. 3. *quod Antiquitas bene statuit, Novitas neglexit*: salvis ceteroquin Majorum nostrorum legibus, ac publicis concordatis.

§. 20.

IV. ex contradictione Rom.

Tandem Anonymus noster *Decreta basileensia, contranitente etiam altera parte compaciscentium Romano Pontifice pro veris concordatis substitui* loco supra citato contendit. Verum Romanum

(aa) Bemerkungen über die neueste Geschichte ꝛc. §. 18. & cit. ibid.

Pontif. compacifcentis defumtas.

num Pontificem non folum non contraniti, fed ea, quæ Decretis bafileenfibus feu concordatis Principum poft afchaffenburgenfia adhuc conformia funt, omnino adprobare, exemplum prorfus illuftriffimum nobis præbet cauffa Spirenfis anno 1760. inter Reverendiff. Capitulum cathedrale & Decanum, modernum celfiff. Epifcopum pcto diverforum gravaminum in Curia Metropolitica maguntina introducta, ac poftea per faltum ad Rotam Romanam deducta; quæ Germanorum animos ac ftudia ad excolenda Principum concordata perquam vehementer excitare inceperat (bb); atque tandem, mediantibus quatuor S. R. I. Electoribus juxta normam concordati germanici, nimirum Decretorum Bafileenfium ad primam inftantiam ab ipfo Romano Pontifice Clemente XIII. remiffa fuit, addito Brevi apoftolico ad Sereniff. DD. Carolum Theodorum Electorem Palatinum &c. &c., quo declaratur, mentem Sanctitatis fuæ effe, ut quoad adpellationes fervetur *Concordatum germanicum*, quo indigitari concordatum francofurtanum, feu Decretum bafileenfe Seff. XXXI. *de c... fis & adpellationibus* eo magis in aprico eft, quo minus con.tat in afchaffenburgenfi cauffarum in curia romana tractandarum mentionem fieri, aut defuper aliquid fuiffe immutatum. Allegatum Breve, utpote rebus & temporibus noftris præprimis accommodum, ac notatu digniffimum hujus tenoris eft:

CLEMENS PP. XIII.

„ Dilecte Fili Nobilis Vir! Salutem & apoftolicam Be-„ nedictionem!

„ Controverfiam, quam habent inter fe Spirenfe Capi-„ tulum ejusque Decanus, Ipfi Nos diligenter examinavimus, „ & ad Moguntinam curiam in prima inftantia cognofcendam „ remifimus, iis tamen conditionibus, quas juffu noftro venera-„ bilis frater Archiepifcopus Ravennatenfis jam, ut opinamur, „ cum Nobilitate tua communicavit. Id juftitiæ confentaneum „ exiftimavimus, cum Decanus bonum jus, & æquum orare „ videatur, tum *a concordato germanico non abhorrens*, & fedan-„ dis omnibus turbis judicavimus opportunum. Perjucundum „ vero nobis fuit, juftitiæ & voluntati tuæ, qui eam caufam

ad

(bb) Wezlar. Nebenſt. 49. Th. 2. Abh. Seite vid. Refponfum jurid. in cauffa Spirenfi de anno 1763. in concord. Nat. integ. tom. I. p. 216.

„ ad Metropolitanum remitti cupiebas, uno eodemque tempo-
„ re satisfecisse. Inde autem argumentum capere potest Nobi-
„ litas tua, *non ita nos tueri auctoritatem, qua usque ad hunc diem*
„ *in Germania pro suo jure semper usa est apostolica Sedes, ut de*
„ *inferiorum Ecclesiarum juribus quidquam velimus detractum*, sed
„ ad liberalitatem animum erga omnes gerere paratissimum, ubi
„ justæ caussæ nostram proliciant apostolicam Beneficentiam,
„ Tibi dilecte Fili Nobilis Vir! quem in visceribus gerimus cha-
„ tatis, intimo nostri cordis affectu apostolicam Benedictionem
„ peramanter impertimur. Datum in arce Castri Gandulphi Al-
„ banensis Diœcesis, sub annulo piscatoris die XXVI. Septembr.
„ MDCCLXIV. Pontificatus nostri anno septimo.

Michaël Angelus
Giacomellus.

Jam cum Romanus Pontifex caussam Reverendiss. Domini Decani Spirensis non solum justam, sed etiam *Concordato germanico conformem*, atque sedandis omnibus turbis peropportunam declaret, insuper etiam fidem suam publicam interponat, *non ita se tueri auctoritatem, -- ut de inferiorum Ecclesiarum* germanicarum *juribus quidquam velit detractum*: quibus decreta basileensia præcipue accensenda esse hucusque dicta contestantur: profecto injuriam facit, qui Illum juribus Ecclesiarum germanicarum ex prædictis Decretis, utpote concordatis publicis, aperte quæsitis sese ultra opponere, aut contraniti asseveraverit. Ceterum quod Anonymus noster de dedecore Nationis germanicæ ex novis modernorum circa prædicta decreta studiis timendo somniare potuit, illico disparebit, siquidem egregia clar. Nelleri laudatissimam suam dissertationem de certis Decretis basileensibus ita finientis verba legere placuerit: *Ut & speculum habeamus hic, a majoribus nostris pie relictum, ut inspiciamus illud, ac videamus, an nævi illi antiqui morum a facie nostrarum ecclesiarum nunc saltem post tria sæcula sint abstersi, necne: parum enim esset salvare Nationis libertatem, si retinuissemus ipsi, quam soli, sine curia romana, excutere possemus, scandalorum vitæ servitutem.*

§. 21.

Reliqua remissive.

Ceterum recto jam ordine benevolus Lector expectabit, ut ILLA ALIA, de quibus præsens clausula aschaffenburgensis ge-

ne-

neralem facit mentionem, curatius disertiusque explanentur: verum hujus rei otium jam dedit clar. Nellerus prælaudata Dissertatione *de certis S. Concilii Basileensis Decretis maxime hierarchicis anno* 1764. insigni prorsus eruditione elucubrata: prout etiam supra laudatus Gregelius egregiam operam explicandis *juribus Nationi germanicæ ex acceptatione Basileensium Decretorum quæsitis, atque per Concordata aschaffenburgensia modificatis, aut stabilitis* in citata Dissertatione inaugurali ante biennium publico cum adplausu impendit. Ad quos perinsignes tractatus interim remittere Lectorem istarum pagellarum limites jubent.

§. 22.

Recapitulatio dictorum.

His itaque fidem nostram, quam in fronte hujus diatribæ dedimus, nos liberasse, eaque omnia, quæ ad intelligendam hanc Nationi germanicæ præprimis favorabilem clausulam faciunt, pro virili contulisse confidimus, postquam, præmissis quibusdam pro genuino clausularum sensu eruendo Principiis, inprimis illam defendendis juribus ac libertatibus Ecclesiarum germanicarum & quidem ex publico concordato constantiensi plane accommodatissimam *clausulam quinquennalem*, selectis quibusdam observationibus, dilucidatam exhibuimus; postquam Decreta basileensia non solum *sub ratione legum ecclesiasticarum* tam in publicis comitiis maguntinis, quam in singulis Provinciis ac diœcesibus, præsertim in Provincia metropolitica Salisburgensi, diœcesi Frisingensi, atque in nostra etiam Bavaria solenniter acceptata, ac anno 1446. in conventu francofurtano mutuo Romani Pontificis & Nationis germanicæ consensu *in vera concordata* fuisse adoptata *ex actis authenticis* monstravimus: postquam hæc ipsa tum *per ipsam Bullam Eugenianam*, tum *per literas Nicolai V.* ac *ipsa etiam acta* in subsecuto concordato aschaffenburgensi, exceptis quibusdam modificationibus, nullatenus fuisse sublata sufficienter probatum dedimus: immo potius prædicta Decreta *per clausulam aschaffenburgensem*, distinctis quæstionibus examinatam aperte salvari, novaque auctoritate confirmari ante omnium oculos posuimus: postquam etiam ea, quæ *adversæ sententiæ Patronis* placere solent, penitus enervata, ac ex omni parte, ut haut abs re videtur, dissoluta fuerunt. Quibus omnibus rite, ac semoto partium studio consideratis nil amplius re-

liquum erit, quam ut fatearis Decreta basileensia per clausulam aschaffenburgensem in hodiernum usque diem, in quantum illi concordiæ non obviant, sarta tecta servari: nisi ipsa quoque concordata aschaffenburgensia simpliciter diffiteri velis. Alterutrum ut amplectaris, demonstratæ rei evidentia requirit.

§. 23.

Conclusio operis.

Tandem huic qualicunque operi ut coronidem imponamus, addere juvat præclarissima verba, quibus Magnif. P. Zallwein (cc), jurium ac libertatum Ecclesiarum germanicarum studiosissimus Indagator Synodum basileensem merito extollit; *In hac*, inquit, *actum fuit de regendis finibus jurisdictionis & jurium Pontificiorum, de tollendis gravaminibus ab omnibus ferme Nationibus contra Pontifices propositis, & oblatis, de gratiis exspectativis abolendis, reservationibus restringendis, annatis prorsus cassandis, appellationibus ad Curiam Romanam coercendis, ex quibus maxima sane sequi debuit immutatio in jure ecclesiastico. Ex hac ulterius Synodo originem traxit Sanctio pragmatica gallicana, & inde secutum concordatum gallicum. Huic potissimum Synodo debemus nostra concordata Germaniæ eatenus, quatenus Germani generosius cum Pontifice agentes haud parum in reverentiam Sedis Romanæ de suis juribus remiserunt, quæ ipsis haud secus, quam Gallis in Synodo basileensi fuerunt stabilita. Quod alibi jam monuimus, iterum iterumque monemus, nempe, ut in pervolvendis hujus aliarumque mox præcedentium & subsequentium Synodorum actis simus soliciti, quia ex his præcipue jura singularia nostræ Germaniæ sunt discenda.*

Atque hoc ipsum est, quod cuilibet rerum germanicarum studioso præcipuæ curæ, cordique sit oportet; quod ipsa ratio, qua nos Ecclesiis germanicis arctissime devincimur, jure stricto exposcit: quodque ad justos utriusque Paciscentis limites eo certius statuendos, atque ad pacem & concordiam inter Romanum Pontificem ac Nationem germanicam eo magis conservandam præprimis facit: quod demum vel maxime commendat, animisque Germanorum inculcat præstantissima *clausula aschaffenburgensis*: IN ALIIS AUTEM *&c. Decretorum Basileensium salvatoria*, præfixus hujus Dissertationis scopus &

F I N I S.

(cc) Princip. Jur. Eccles. tom. II. Q. III. cap. I. §. II.

PO-

POSITIONES
EX
UTROQUE JURE.

EX JURE NATURÆ, PUBLICO UNIVERSALI, ET GENTIUM.

I.

Existit *jus Naturæ*, seu complexus legum a Deo homini per rectam rationem promulgatarum, quod necessarium, immutabile, ac æternum est. II. *Autochiria* in nullo casu tanquam licita defendi potest. III. Non licet, ad *tuendam vitam propriam*, innocentis vitam perdere, etiamsi ipsius interitus unicum conservandi propriam sit remedium. IV. *In statu naturæ absoluto* omnes homines eadem libertate, iisdemque juribus gaudent. V. *Traditio* jure naturæ ad translationem dominii non est necessaria. VI. *Præscriptio*, tanquam modus adquirendi rei cujusdam dominium, in jure naturæ ignoratur. VII. *Omnis civitas* pactis nititur; finis autem cujuslibet civitatis est securitas, & felicitas externa. VIII. *Pacta publica* etiam metu gravi injuste incusso inita, sancte servanda sunt. IX. *Justifica bellandi caussa* est sola læsio juris perfecti.

EX HISTORIA, ENCYCLOPÆDIA, AC METHODOLOGIA JURIS.

I. *Jus justinianeum* ex Academia Bononiensi ad fora germanica sub auspiciis Lotharii II. Friderici I, & II. transmigrasse: expugnata a Turcis Constantinopoli in oriente desiisse, atque in nostris terris jus commune constituere defendimus. *Authenticis* Codici insertis non

 nisi

nisi per reductionem ad fontes authoritatem tribuimus. II. Collectio *librorum feudalium Longobardicorum* a Friderico I. publicis praelectionibus praescripta est; in terras germanicas vero primum ad initium saeculi XIV. introducta videtur. III. *Speculum suevicum* in Bavaria nostra usum habuit judicialem. IV. Illud *Legum Bajuvariorum* capitulum IX. Tit. II. *de Duce protervo* &c. tantum in extraneis, non vero in patriis Manuscriptis Codicibus, ex quibus Ingolstadiensis aetate praeeminet, inveniri observamus: cujus etiam rationem dabimus. V. *Capitularia Regum francorum* una cum Codice legum Bajuvariorum ultra saeculum XII. in Bavaria nostra vim legalem habuisse non videntur. VI. *Collectionem Isidorianam*, prout est corrupta, germaniae natales suos debere valde probabile est. VII. *Ad Ecclesiastici juris scripti* species referimus *Decretum Gratiani*, cujus valor ex usu & receptione subsistit: dein *collectionem Decretalium Gregorianam*, *Bonifacianam*, & *Clementinam*, quibus Tridentinum Concilium varias mutationes vel limitationes addidit. Has inter ne *Extravagantes Joannis XXII.*, & *Extravagantes communes* numeremus, praesertim Germaniae nostrae interest. VIII. *Praeter historiam* Pacti Calixtini, Concordatorum Constantiensium, Francofurtanorum seu Principum, si libuerit, recensendam, statuimus quoad Concordata Aschaffenburgensia *Instrumentum pacti* plus valere, quam *instrumentum Bullae*. IX. *Originale Aureae Bullae Instrumentum* produci hactenus haut potuit: cujus tamen textus latinus praeferendus est vernaculo. X. *Constitutionem* Hadriani I, & Leonis VIII. apud Gratianum dist. 63. can. 22. & 23. *inter leges*, ut vocant, *regias* plane non referimus. XI. *Encyclopaedia* est complexus omnium scientiarum, ut quis perfectus sit Jureconsultus, requisitarum. *Methodologia* rectam tum docentibus, tum discentibus pertractandae Jurisprudentiae methodum praescribit. Praecipuam utriusque utilitatem ac necessitatem defendimus. XII. Methodus *systematica*, eaque *synthetica* reliquis omnino praeferenda est.

EX JURE CIVILI ROMANO.

I. *Possessio* est species juris in re. II. *Bonae fidei possessor* non industriales tantum, sed etiam naturales fructus suos facit; quin etiam consumtos, licet inde factus sit locupletior. III. *Usufructuario* jus suum in extraneum transferente, nihil agitur; ususfructus vero statim ad Dominum proprietatis redit. IV. In *concursu Privilegiorum* Minorennis & filiifamilias, illud huic praevalere defendimus. V. *Donatio inter vivos* propter liberos postea natos revocari nequit. VI. *Te-*

stamen-

ſtamentum nullum ex defectu ſolennitatum, neque in foro interno obligat. VII. *Filio in Teſtamento a patre præterito*, teſtamentum nullum eſt; *Exheredatio filii* in Codicillo inutilis habetur. VIII. *Filiusfamilias* etiam de peculio adventitio irregulari teſtari nequit. IX. *Legatarios* verbis tantum conjunctos jure adcreſcendi haud gaudere exiſtimamus. X. *In Trebellianicam* ea ſolum imputari debent, quæ titulo inſtitutionis ad heredem perveniunt. XI. Filio *præter legitimam* detrahere *quartam Trebellianicam* non licet. XII. *Monetarum valore immutato*, ſolutio regulariter facienda eſt in pecunia ejusdem æſtimationis externæ, cujus eſt tempore ſolutionis. XIII. *Pupillus* ex vero contractu & naturaliter & civiliter obligatur, quatenus non ſibi, ſed tertio præjudicat. XIV. *Exceptio non numeratæ pecuniæ* biennii ſpatio penitus extingui haud videtur. XV. *Negotiorum geſtor* in regula ad præſtandam culpam leviſſimam tenetur. XVI. *Emtor* periculum rei in ſpecie venditæ etiam ante traditionem ſuſtinere debet. XVII. *Senatusconſulto Macedoniano* per juramentum renuntiare non valent filiifamilias; illius autem exceptio eosdem etiam in conſcientia tutos reddit. XVIII. *Actioni publicianæ* mala fides ſuperveniens non obeſt,

EX CODICE CIVILI, ET JUDICIARIO BAVARICO.

I. Generalis, & proprius *tacitæ Emancipationis* titulus eſt: ſi liberi propriis, non paternis ſumtibus, Patre non contradicente, vivant. II. *Conſtitutum Poſſeſſorium* ob præcipuos ſuos effectus plurimum ſe commendat; per actualem tamen tertii poſſeſſionem, poſt tres dies ab habita notitia, extinguitur. III. *Hypothecæ* a plebeis conſtituendæ ſcripturam, & confirmationem judicis ordinarii requirunt. IV. *Tempus præſcriptionis* rei immobilis in contractu emtionis & venditionis; uti etiam in hypotheca in re vendita conſtituta; jus patrium inter præſentes ad 5, & inter abſentes ad 10 annos reſtringit. V. *Teſtamentum filiifamilias* de peculio adventitio irregulari validum agnoſcimus. VI. Ad *Collationem bonorum* omnes, quibus debetur legitima, tenentur. VII. *Detractio falcidiæ*, aut *Trebellianicæ* a teſtatore prohiberi nequit. *Legata pia* tantum in ſubſidium falcidiæ ſubjacent. VIII. *Filiusfamilias* non tantum in pecunia, ſed etiam in alia quavis re mutuo data, *exceptione Senatusconſulti Macedoniani* gaudet. IX. *Jus ſigillandi* plures, & inſignes effectus habet. X. *Præſtationes Emphyteuticariæ*, juſtam uſurarum ſolitarum quantitatem, citra notam injuſtitiæ, excedere non poſſunt.

XI.

XI. *Literæ emphyteuticæ* (Erbrechts-Stifts-Briefe) antiquæ præferuntur novis; cum illæ non nisi accedente consensu emphyteutæ immutari possint. XII. *Correalitas*, uti & *Expromissum*, in dubio non præsumuntur, sed probanda sunt. XIII. *Depositarius* ad culpam levem, & si se obtulerit, ad levissimam etiam obligatur. XIV. *Retractus consanguinitatis* quarto gradu civili circumscribitur; in concursu extraneorum cum patriis heredibus quoad bona immobilia, hi illis præferuntur. *Retractus privilegiatus* etiam in publicis subhastationibus, circa bona Nobilium immatriculata ad annum a die adjudicationis durat. XV. *Processus Petitorius*, non in simplici jure reali, sed tantum in dominio, & quavis dominii specie, fundatur. XVI. *Actiones personales* neque ad Processum Petitorium, nec Possessorium, qualificatæ sunt. XVII. Caussæ summarissime tractandæ *objectum reconventionis* tantum quoad effectum prorogatæ jurisdictionis; non item Processus simultanei, nisi quoad actionem propositam similem, constituunt. XVIII. *Bona in territorio Bavarico sita* ad concursum universalem alibi institutum trahi non possunt. XIX. *Landsassii ecclesiastici* in Bavaria non tantum quoad realia, & bona in territorio sita, sed etiam in personalibus Principi subjiciuntur. XX. *In dubio*, der Edelmanns Freyheits-Fähigkeit, *& jurisdictionis* in prædio separato competentis, provocandum est ad jurisdictionem eo in prædio jam ante annum 1557. exercitam. XXI. In *feudis emtitiis equestribus* feminæ tantum successive, non simultanee cum masculis succedere possunt. XXII. *In caussa dubiæ successionis feudalis femineæ*, citra specialem concessionem, & mandatum Serenissimi, a judice alias ordinario lata & publicata sententia nullo unquam tempore vim juris, aut rei judicatæ adquirit.

EX JURE ECCLESIASTICO COMMUNI PUBLICO, ET PRIVATO.

I. *Jus Ecclesiasticum* ordinatur ad statum Ecclesiæ præcipue externum regendum: atque in antiquum, novum & novissimum dispescitur. II. *Ecclesia* est Plebs Sacerdoti unita, seu Societas Christi fidelium sub Hierarchia divinitus instituta: in qua datur vera Potestas *legislativa*, *judiciaria*, & *coercitoria*: *summa*, *in suo genere absoluta*, *& independens*: *spiritualis* non solum interna seu dogmatica, sed etiam externa seu disciplinaria complectens: a Potestate politica omnino *distincta*; eidem tamen *necessario nexu conjuncta*. III. Hæc Potestas penes Romanum Pontificem, tanquam legitimum S. Petri Successorem, primario residet, atque *Primatus jurisdictionis* dicitur:

cujus

cujus exercitium *justis*, quos ipsa Ecclesiæ institutio posuit, *limitibus circumscriptum* defendimus. Inter jura *Primatus* in specie numeramus supremam inspectionem, & custodiam legum ecclesiasticarum; Jus relationis in caussis fidei, morum, & disciplinæ universalis; decisionis controversiarum; jus convocandi, dirigendi, & confirmandi concilia generalia: leges disciplinares universales ferendi, atque dispensandi; constituendi Vicarios Sedis Apostolicæ, atque mittendi Legatos, salvis juribus Episcoporum, atque Dominorum territorialium. IV. Romano Pontifici, tanquam *vero Ecclesiæ Occidentalis Patriarchæ*, etiam jura patriarchalia competunt, qualia sunt confirmare & consecrare Metropolitas, illos ad Synodos convocare, illorum caussas, ac graviora negotia decidere, adpellationes recipere &c. &c. V. *Cardinales* in Hierarchia ecclesiastica potius locum honoris, quam jurisdictionis habere existimamus. VI. Originem *Potestatis Metropoliticæ* tam in prærogativa Ecclesiarum, quam in divisione Imperii statuimus: cui immediate subjiciuntur Episcopi provinciales ad modum in Tridentino Concilio determinatum: a quorum sententia *jure ordinario* datur adpellatio ad Metropolitas. VII. *Pallia* a Romano Pontifice concedi solita, ab initio *solius honoris*, a Sæculo XI. *etiam jurisdictionis symbola* esse ceperunt. VIII. *Episcopi* sunt veri successores Apostolorum: quoad ordinem & jurisdictionem divinitus in Ecclesia instituti, cujus jurisdictionis exercitium tum ex ipsa institutione, tum ex observantia ecclesiastica *suas etiam patitur limitationes.* Concilium Tridentinum per illa verba: *ut Episcopi tanquam Sedis apostolicæ delegati procedant*, non delegatam, sed ordinariam jurisdictionem Episcoporum restauravit: cui neque illud gratianeum C. II. q. 6. c. 12. derogare ostendimus: *Ecclesias seu Episcopos esse vocatos in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* IX. *Prælati inferiores* non-Episcopi jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum & populum vel privilegio, vel præscriptione immemoriali adquirere possunt. X. *In Conciliis Oecumenicis* Papa & Episcopi ex jure divino habent vota decisiva: ex jure ecclesiastico etiam Prælati Episcopis inferiores admittuntur. Illa clausula Tridentini Concilii sess. 25. c. 21. de ref. *Salva semper auctoritas sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur*, majorem potestatem Pontifici circa decreta Tridentina non tribuit. XI. *Capitula* sede vacante ea jura ecclesiastica exercere in regula possunt, quæ jure expresso non inhibentur: sede plena autem consensus capitularis in gravioris momenti caussis sub nullitate actus requiritur. XII. *In Electione* etiam vota pauciora quandoque prævalere possunt. In Concursu Electionis & Postulationis non duæ tertiæ, sed tantum numerus duplo major Postulantium, quam Eligentium

tium regulariter requiri videtur v. g. sunt 24. Capitulares: 14. postulant Titium: 7. eligunt Cajum, tres vota dispergunt. *Vota secreta* in regularium Electionibus post Tridentinum Concilium sub nullitate actus requiruntur, siquidem *per scrutinium;* secus vero si per *compromissum* fiant. XIII. *Bona ecclesiastica* sunt in dominio & administratione Ecclesiæ, seu Rectorum ecclesiasticorum. XIV. *Immunitatem Ecclesiasticam* personalem, realem, & localem in caussis, rêbusque civilibus Principum Munificentiæ adscribimus. XV. *Beneficiorum incorporatio* sive pleno jure, sive quoad temporalia & spiritualia facta non semper tribuit jus parochiale: & est strictæ interpretationis. XVI. *Reparatio Ecclesiarum* est onus reale bonis ecclesiasticis, ad quoscunque possessores transierint, inhærens. XVII. *Clerici bona ecclesiastica tam superflua, quam parsimonialia* ad usus profanos impendentes, ex justitia tenentur ad restitutionem. XVIII. Sola ædificatio, vel dotatio Ecclesiarum, & præscriptio immemorialis sunt legitimi & originarii tituli *juris Patronatus*: quorum examen soli Episcopo competit. XIX. *Parochianus* extra Parochiam defunctus in sua Parochia de jure, & regulariter *sepeliendus est.* XX. *Decimæ* vel ecclesiasticæ vel laicales sunt: illarum Parochus intentionem in jure fundatam pro se habet: debentur etiam de fructibus noviter cultis. In locum *decimarum personalium* videntur subintrasse jura stolæ, aliave Parochis præstanda. XXI. *Sponsalia* involvunt veram obligationem contrahendi nuptias: & priora, soluto matrimonio, reviviscunt. XXII. Ecclesia habet veram ac propriam Potestatem statuendi *Impedimenta Matrimonii*: similiter & Princeps: ille quoad effectus spirituales: hic quoad effectus civiles. — Clandestineitas tantum in locis, ubi promulgatum fuit Tridentinum, constituit impedimentum dirimens. In caussis matrimonialibus judex Ecclesiasticus *etiam de effectibus civilibus* sententiam dicere potest. XXIII. *Censuris & pœnis Ecclesiasticis* effectus civiles sive speciali constitutione Principum, sive per observanciam fuerunt additi. XXIV. Forum ecclesiasticum in *connexione caussarum civilium* haut fundari potest. XXV. *Jus circa sacra* Principi competens consistit in jure inspiciendi, cavendi, & defendendi Ecclesiam: non tribuit jurisdictionem ecclesiasticam: sed fundatur in jure majestatico. XXVI. *Limites utriusque potestatis* Ecclesiasticæ & Civilis his principiis circumscribimus: 1. Utraque Potestas est Summa, independens, & absoluta. 2. Neutra alteri derogare debet. 3. Mutua opera & nexu se invicem adjuvent.

EX JURE ECCLESIASTICO GERMANICO.

I. *Vi Pacti Calixtini* Ecclesiæ Cathedrales, Collegiatæ, Abbatiales Teutonici regni habent *liberam Electionem*, cujus discordias jure noviori decidit Romanus Pontifex. Episcopi in concordia electi *ante Placetum apostolicum* Episcopatum in spiritualibus & temporalibus administrare possunt: ante Confirmationem vero pontificiam non investiuntur ab Imperatore. II. Sub voce: *Concordata Principum*: in capitulatione cæsarea art. XIV. §. 1. non intelliguntur aschaffenburgensia, sed francofurtana concordata, seu decreta basileensia, quæ per aschaffenburgensia in ratione concordati iterum confirmata fuerunt. III. *Reservationes* extravagantium, & alternativa Mensium, sede vacante, quiescunt. IV. *Dignitates* post Pontificalem majores in cathedralibus, & Principales in Ecclesiis collegiatis de jure reservatas haut existimamus. V. Sola *annatarum* species, quæ *commune servitium* vocatur, vi Concordatorum debetur. VI. Imperator *specialem advocatiam* Ecclesiarum germanicarum gerit: vi cujus Recursus ad Imperatorem *puncto violatorum Concordatorum* sive coram judicio aulico cæsareo, sive coram camerali imperiali interponi potest. VII. *Jus primariarum precum*, uti etiam *literæ alimoniales* seu Brod-Briefe non in majestate, sed in sola observantia fundantur: ad quas facilius exercendas Romanus Pontifex non jam Indultum, sed encyclicam ad Ecclesias germanicas dare solet. VIII. *Jus dandi exclusivam* Imperator habet in conclavi pontificio, non vero in Electione Episcopi regni germanici. IX. *Ad Placetum regium* in Imperio Romano-germanico exercendum qualitatem comitialem non requirimus. X. *Jus reformandi* in P. W. statibus immediatis adjudicatum distinguitur *a jure circa Sacra*: involvit *simultaneum introducendi* facultatem: & nonnisi *sola possessione anni normalis* subditis probanda circumscribitur. XI. *Itionem in partes* non in quibuscunque, sed in illis tantum, quæ Religionem sive catholicam sive protestanticam *directe*, vel *indirecte* concernunt, negotiis locum habere defendimus: ad quam *votum commune* noviter inventum sufficere haut admittimus. XII. *Autodikiam* in caussis religionis omnino prohiberi ex P. W. ostendimus. XIII. *Suprema Imperii Tribunalia* in causis ecclesiasticis inter utriusque religionis partes ventilatis non solum *in possessorio*, sed etiam *in petitorio* fundatam habent jurisdictionem. XIV. *Episcopi catholici* in quibusdam causis etiam *in subditos protestanticos* jurisdictionem exercere possunt: atque illud *excommunicationis* remedium art. V. §. 48. juxta ordinem Processus illo tempore usitatum explicandum est. XV. *Capitula* Ecclesiarum vidua-

-diatarum, ſede vacante, jure ordinario adminiſtrant tam *eccleſiaſtica*, quam *temporalia* jura. XVI. *Abſentes*, qui extra Germaniam verſantur, ad Electiones non vocati, de contemtu agere non poſſunt. XVII. *Religioſus profeſſus* ad religionem proteſtanticam tranſiens adquirendæ hereditatis incapax manet. XVIII. *Matrimonia mixtæ religionis* immediatarum Perſonarum judicio eccleſiaſtico catholico recte ſubjiciuntur in noſtra Germania. XIX. *Cenſus germanicus* (ſeu ewige Gelder) tam redimibilis, quam irredimibilis, ab uſuraria pravitate longe remotus eſt.

EX JURE ECCLESIASTICO BAVARICO.

I. Varii Receſſus & Concordata cum vicinis Epiſcopis inita: conſtitutiones pontificiæ, & epiſcopales: ordinationes politico-eccleſiaſticæ, *ſpeciale jus eccleſiaſticum Bavaricum* fundant. Receſſus tamen Ambergenſes de an. 1630. 38. & 54. *plenum valorem* nondum obtinuerunt. II. *Clauſula concordatorum* de anno 1583. *In quæ quidem Concordata* &c. in caſu dubio regulam pro Principe dare videtur; atque hæc concordata ultra Licum non extenduntur. III. *Receſſum de celebrandis Electionibus Prælatorum regularium* ddo. 6. Octob. 1774. ad omnia Monaſteria, in quibus Epiſcopi jure ordinario electiones confirmare ſolent, pertinere exiſtimamus. IV. *Cauſſa Teſtamentorum Clericalium contentioſa* in Bavaria coram judice ſeculari ventilanda eſt. Illa tamen ab Epiſcopo confirmari debent, cui etiam portio canonica, aliaque jura epiſcopalia exinde competunt. V. *Teſtamenta canonica* in variis locis Bavariæ recepta valent. VI. *Jus menſis pontificii* Sereniſſimis Bavariæ Principibus proprium *a jure Patronatus* plane diverſum eſt: quo ſuper varii cum Epiſcopis tractatus exiſtunt. VII. *Ordinationem proviſionalem Sponſalium clandeſtinorum abrogatoriam*, etiam non obtenta juxta §. 15. confirmatione pontificia, plenum valorem tam pro foro externo, quam interno habere defendimus, non ſolum *in Bavaria, & ſuperiori Palatinatu, ſed etiam in Ducatu Neoburgico, qua diœceſi Auguſtanæ* ſubjecto. VIII. *Parochus* tantum quoad *decimas majores* habet fundatam intentionem in jure bavarico: ac decimas novalium *propriorum* duntaxat tribus primis annis, ſi adſit decimator univerſalis, exigere poteſt: novalium autem *impropriorum* decimæ ad Decimatorem ſpectant juxta ordinationem decimalem bavaricam. IX. *Forum decimarum*, cumulato petitorio & poſſeſſorio, eccleſiaſticum eſt. X. *Ad Profeſſionem religioſam* 21. annus completus ſub gravi pœna requiritur. XI. *Advocatia Monaſtica* poſt extinctas Nobilium familias ad Sereniſſimos Bava-

riæ

riæ Principes translata est. XII. *Asylum ecclesiasticum* juxta constitutiones pontificias Greg. XIV. Benedicti XIII, & XIV, & Clementis XIII. item Episcopales dijudicandum est. XIII. *Pœnæ pecuniariæ* Clericis delinquentibus in foro ecclesiastico dictatæ ad pios usus in Bavaria adplicari debent. *Laici* autem *delicta ecclesiastica* perpetrantes in foro ordinario puniuntur; pœna canonica Episcopis reservata.

EX HISTORIA IMPERII ROMANO-GERMANICI.

I. Ad illustrandam formam imperii *Carolidos inter divisi* Idea *Califatus* multum inservire videtur. II. Statuum Imperii *Superioritatis territorialis* origines a sæculo inde XIII. potissimum quærimus. III. Jus sic dictum *Manuarium* justos ac necessarios habuit natales. IV. A regno *principali* & *imperante* germanico curate semper secernenda sunt regna vicina *subjecta* illi, & *adnexa*, scilicet *Longobardicum*, *Lotharingicum*, *Burgundicum*, seu *Arelatense*, & *Imperium Romanum* stricte sic dictum: unumquodque sub *jure publico peculiari* constitutum. V. Rudolphum Suevicum, Hermanum Lucenburgicum, Philippum Suevicum, Wilhelmum Hollandicum, Richardum Anglum, & Güntherum Schwarzburgicum, *legitimos Germaniæ reges* agnoscimus: de Conrado IV. ne quidem dubitamus. VI. Wilhelmi vero Hollandici *legitimum* imperium post obitum demum Conradi IV. agnoscimus, & legitimas Carolo IV. imperii habenas die demum 12. Junii 1349. concredimus. VII. Placet nobis insignis Cl. Crollii in Actis Acad. Elect. Theodoro-palatinæ Volum. III. stabilita hypothesis *comitiæ Lotharingicæ aquisgranensis palatii* exeunte sæculo XII. adjunctas fuisse antiquissimi *franconici Ducatus* (victricis, primariæ, & dominantis olim regni nostri provinciæ) facultates, honores, & prærogativas: hinc Serenissimi Comitis Palatini, *primarii* cum Electore Moguntino ejusdem provinciæ Archiepiscopo, *Imperii proceris* a sæculo inde XIIItio. α) sic dictum judicium palatini in Cæsarem: β) Cumulativa cum Moguntino Archiepiscopo principum Electorum ad eligendum novum regem convocatio, electionis directio, nec non controversæ decisio; γ) in reges nostros minores annis tutela legitima: δ) Generalis *vacante Imperio*, immo *Imperatore absente* per Germaniam, Italiam, Burgundiam, & Lotharingiam *Vicariatus* postea *quoad Germaniam* cum Electore Saxonico divisus, & plura alia. VIII. Sub nomine *Waehlschland* (corrupte nobis Welschland) cum in monumentis sæculo XVto prioribus occurrat, neutiquam *Italia* (tunc temporis *Lombardia* vel *Lamparten* dicta) sed regna *Are-*

 latense

latenſe & *Lotharingicum* intelliguntur. Cum lingua *gallico-provinciali arelatenſi* & *Nomen* demum in Italiam migraſſe, & translatum fuiſſe nobis videtur. IX. Medii ævi *Imperatoris* per omnes chriſtianorum plagas *in Judæos dominium* pariter cum Cl. Püttero advocatiæ ejus *univerſalis romanæ eccleſiæ*, & *religionis chriſtianæ Defenſoris* muneri adſcribimus.

EX JURE PUBLICO GERMANICO.

I. Inter *leges Imperii germanici* eminent Concordata cum Romanis Pontificibus, Conſtitutio de Independentia Imperii, & Unio Renſeenſis, aurea Bulla, Capitulatio cæſarea, Pacificationes publicæ, Receſſus ac Concluſa Imperii &c. II. Proſcripto per pacem publicam 1495. jure Manuario, præter *Judicium cameræ imperialis*, cui jam ſuprema in omnes imperii ſtatus, eorumque ſubditos jurisdictio eſt demandata, Maximilianus I. 1518. *Senatum aulicum* ordinavit, cui ſub Ferdinando I. hodiernum Judicium imperii aulicum ortum ſuum debet; ſuprema ejusdem jurisdictio poſtea tum factis, tum lege a ſtatibus univerſim agnita eſt. III. *Dignitas imperatoria* in Imperio perſonalis eſt, ac liberæ debetur electioni. IV. Deciſio quæſtionis: *Utrum juſta adſit eligendi Regem Romanorum cauſſa, nec ne?* ex obſervantia penes collegium electorale eſſe videtur. V. Requiſita *pro obtinenda dignitate ſtatus imperii*, quæſiti recenſebimus. VI. *Quot ſingulis familiis in comitiis vota* competant, juxta annum 1582. ex comitiis norimbergenſibus determinandum eſt. VII. *Jus capitulandi*, cui occaſionem dedit Maximilianus I., jam inde a tempore Caroli V. penes Electores reſidet; jus vero adcapitulandi a tempore Matthiæ ceteri quoque imperii Principes ac ſtatus ſibi vindicant. VIII. Præcipua *jura Imperatori reſervata* petenti explicabimus. IX. Maxima *Principum Electorum prærogativa* eſt jus eligendi Imperatorem; reliqua ſunt *a*) jus inſtituendi conventus electorales, *b*) jus Prædeliberationis, *c*) comparandi feuda, etiam irrequiſito Imperatoris conſenſu. *d*) Privilegium de non appellando illimitatum &c. X. Negotia, *in quibus pluralitas votorum excluditur*, ſunt 1. cauſſæ religionis catholicos inter & Proteſtantes controverſæ, 2. ubi partes tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, & 3tio itio in partes. XI. *Poteſtas ferendi leges imperii*, eas abrogandi, & authentice interpretandi, uti etiam *ſuprema Poteſtas judiciaria*, eſt penes Imperatorem & ſtatus. XII. Suprema imperii tribunalia concurrentem, ſi cauſſas feudales, gratioſas &c. excipias, ac univerſalem, non tamen illimitatam jurisdictionem habent. XIII. *Superiori-*

rioritas territorialis omnibus & singulis imperii statibus primum *in* P. W. lege-fundamentali fuit stabilita, quam Imperatores in suis postea Capitulationibus confirmarunt. XIV. Status, qui se sententia supremorum Tribunalium gravatos judicant, uti adhuc possunt *remedio Revisionis*, *aut Recursus ad comitia.* XV. Mortuo Imperatore, si non electus adsit Rex Romanorum, omnis jurisdictio cæsarea *in imperii Vicarios* transit. XVI. *Tempore interregni* jurisdictione judicii imperialis aulici extincta, quilibet Vicarius *intra suos limites judicium Vicariatus aulicum* constituit, ad quod caussæ, alias ad judicium imperii aulicum pertinentes, devolvuntur. XVII. Suprema jurisdictio per totum territorium statibus competens *hodie personalis* esse desiit; nec liberum est Imperatori, per concurrentem suam jurisdictionem eandem turbare. XVIII. *Jus belli* ac *Repressalium* statibus inter se ordinarie haud competere videtur.

EX JURE PUBLICO BAVARICO.

I. Jura, quæ Serenissimis Ducibus Bavariæ in civitate Imperiali Ratisbonensi supersunt residua nobis esse videntur *Burggrafiatus Ratisbonensis* a Ludovico I. Bavariæ Duce anno 1185. comitum Riedenburgensium hereditate adquisiti, cujus insigne Territorium in præfectura, olim Vice-dominatu, *Lengenfeldensi* principibus nostris adhucdum superest: & de quo, uti in comitiis imperii, sic & in circulo Bavarico speciale votum jure merito, uti multa alia, possent peti. II. Palatinatus superior, quamvis ibidem *jus collegii* Landsassionum seu *comitia provincialia* desierint: tamen separatum & amplissimum tum in ecclesiasticis, tum in politicis habet jus publicum: nobis autem, quibus antiquiora ab sæculo XIII. ad annum 1621. Serenissimorum Principum Bavarorum & Palatinorum ibidem dominantium concessa in his terris privilegia, & multifaria acta comitiorum provincialium principatus hujus desunt, prope incognitum. III. *Juris regalis* Insularum, & Alluvionum *in publicis* Bavariæ fluminibus monumenta jam anno 1293. ante sic dictam *Constitutionem Adolphinam* occurrunt. IV. *Advocatia ecclesiastica territorialis*, antiquissima superioritatis territorialis hodiernæ particula, jam inde a sæculo XIII. a Serenissimis Bavariæ principibus observantia nunquam interrupta exercebatur: quod ipsos jam Ludovicum I. Bavariæ Ducem, & filium illius, Ottonem illustrem contestantes habemus.* Jure meri-

* Priorem in diplomate jam anni 1214. apud Falkenstein baierisch. Gesch. *Tom. III. p.* 70. alterum in mandato ad officiales Ducatus sui, ut fratribus de ordine prædicatorum in extirpandis & coercendis hereticis opem ferant: apud *Schmidium in Biblioth. Göttingensi p.* 185.

merito ideo Sereniſſimo Electori noſtro jus vindicatur pro terris ſuis *Nuntiaturam Apoſtolicam* introducendi: quod ipſa capitulatione cæſarea Art. 14. §. 34. & Receſ. J. N. §. 164. potius confirmatur. V. Juribus hisce Advocatiæ territorialis accreverunt poſtea, *diverſis ſummorum pontificum indultis ut plurimum*, ſpeciales principibus noſtris in Eccleſiaſticis *prærogativæ*, & *jura* revera *pontificia*: quibus α) jus providendi de beneficiis eccleſiaſticis in menſibus ſic dictis pontificiis vacantibus. β) Cumulativam cum Epiſcopis univerſorum per Bavariam bonorum eccleſiaſticorum adminiſtrationem. γ) Jus authoritate pontificia viſitandi Clerum Bavaricum adnumeramus. δ) Non nulli etiam *jus decimandi* bona eccleſiaſtica, *pontificibus* olim uſitatum, adjunxerunt. VI. Privilegium *de non appellando illimitatum* Imper. Aug. Joſephus II. nuperrime vi diplomatis Cæſarei dd. Pragæ 29. Sept. 1786. etiam *ditionibus terris boicis adjunctis* ſcilicet Principatui, Comitatibus, & Dynaſtiis, Mindelheimenſi, Haagenſi, Halſenſi, Hohenwaldecenſi, Wiſenſteigenſi, Sulzburgenſi, Pürbaumenſi, Schwabecenſi, Hohenſchwangavienſi, Illerdiſſanæ, Wertinganæ, & Hohenreichenſi conceſſit, vel confirmavit. VII. Rutas ſic dictas Bavaricas nos quoque in Sereniſſimorum Principum noſtrorum Inſignia gentilitia, adepta demum Comitum Bogenſium hereditate, migraſſe credimus. *Quid ſignificent?* vel ab illis comitibus *cur* receptæ fuerint? ignoramus. Hoc autem ſcimus ſæculo XV. principes noſtros ipſos crediſſe Rutas iſtas *viginti & unius numerum* adæquare debere.

EX JURE PRINCIPUM BAVARIÆ PRIVATO.

I. Doctrinæ hujus fontes primarii nunc ſunt I reſpectu *ad terras Rhenano-palatinas & avitas Bavaricas* pacta ſucceſſoria Sereniſſimum Electorem noſtrum & Prædeceſſorem in regimine Maximilianum III. Bavarum f. m. inter, in annis 1766. & 1771. inita: pacificatione Teſchinenſi 1779. adprobata, & ab omnibus teſte J. J. Moſero Sereniſſimæ domus Wittelſpacenſis principibus Maſculis inſuper acceptata. II. Reſpectu ad Ducatus *Neoburgicum & Bipontinum* teſtamentum Wolfgangi Wilhelmi 1568. & noviora præcipue circa controverſam olim in Ducatum Bipontinum ſucceſſionem lineam nunc Electoralem Neoburgicam inter & Bipontinam factæ *transactiones & compactata.* II. Speciali Diplomate Caroli VII. Imperatoris Auguſti dd. 16. Julii 1742. (quod *principum Electorum* tantummodo olim ſingularis prærogativa fuit) *omnes* nunc Sereniſſimæ Wittelſpacenſis familiæ principes poſt impletum annum decimum octavum Maiorennes fiunt. III. Jure per univerſam germaniam conſuetudinario ad ſæcu-

ſæculum XV. illuſtriſſimæ principum Viduæ aſſignatas ſibi in *Vidualitium* terras omni prope *imperio* poſſederunt. Hinc numeroſa illarum & in Monumentis noſtris boicis in diverſis conceſſa diplomata; pacta tantummodo dotalia; *renunciativa*, & *reſtrictiva*, juri huic antiquo derogare poſſunt, quod etiam inculcant pacta ſucceſſoria anno 1771. art. 15. IV. Hiſtoria genealogica Diplomatica *proavorum* Ottonis M. Wittelſpacenſis & *Conſanguineorum ſuorum* in jure publico Bavarico & doctrina *Unionis terrarum boicarum* maximi ſane eſt argumenti.

EX JURE FEUDALI COMMUNI ET BAVARICO.

I. *Legitimati per ſubſequens matrimonium*, ex uſuali juris Longobardici interpretatione, ſucceſſionis feudalis capaces habentur. II. *Ad praeſcriptionem feudi* contra eccleſiam 40. anni ſufficiunt. III. Imperator *feuda imperii maiora aperta* absque ſtatuum conſenſu reinfeudare non poteſt. IV. In *ſucceſſione feudali* proximitas gradus non a primo adquirente, ſed ab ultimo Poſſeſſore repetenda eſt. V. *Feudum antiquum*, ob feloniam in dominum amiſſum, poſt mortem delinquentis Vaſalli, ejusque liberorum, ad agnatos redit; *in feudis imperii* autem filiis innocentibus jus ſuccedendi ex capitulatione noviſſima ſalvum relictum eſſe videtur. VI. *Eventualiter inveſtitum* heres univerſalis domini inveſtientis repellere nequit. VII. *In feudis imperii* accepta a tutore inveſtituræ renovatio perinde habetur, ac ſi ab ipſo Vaſallo pupillo vel minore impetrata eſſet. VIII. *Vacante imperio jurisdictio feudalis* penes imperii Vicarios reſidet. IX. *Potiſſima feudi diviſio in Bavaria* eſt in Equeſtria & burſatica. X. *Alienatio* ſemper requirit conſenſum domini, qui tamen circa burſatica denegari haut poteſt. XI. *Renovatio inveſtituræ, ac ſolutio Laudemii* in omni feudi mutatione requiritur. XII. *Subinfeudatio* absque conſenſu domini jure patrio invalida eſt.

